



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

Liber CLXXXIV.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

LIBER CLXXXIV.



CLEMENS VIII. SUMMUS PONTIFEX,
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Anni Sacri initia.

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

Spond. hoc
ann. n. 18.
Thu. hist. l.
324.

Cum jamjam sæculum decimum sextum ad finem vergeret, Clemens VIII. Pontifex Maximus singulari, qua effulgebat, pietate anniversari solennitatem celebrare constituit, hancque in rem die decima nona Maji diploma die vigesima prima ejusdem mensis promulgatum condidit, vi cujus Jubilæi celebritatem pro anno subsequenti indixit, plenamque noxarum condonationem cunctis consuetas quatuor Basilicas pie visitantibus impertitus fuit, ceteras vero omnes ubique indulgentias per integrum annum proximum suspendit, omnes Principes hortatus, ut suam in peregrinos Romam contentes benevolentiam, liberalitatemque

que exercere, eis que de itinerum securitate prospicere velint: cum vero Pontifex morbo præpeditus in Nativitatis pervigilio (uti alias mos ferebat) portam sanctam aperire præpediretur, hinc primum postrema die mensis Decembris sacrum hunc ritum peregit cum insigni Cardinalium, Præsulum, Legatorum, atque Italiæ Procerum comitatu, & concursu.

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

§. II.

Universitas Parisiensis restaurata.

Hoc anno Franciæ Rex pace cum Hispanis composita Parisiensis Universitatis per bella civilia, hæresumque licentiam collapsæ disciplinam restaurare constituit, hujusque negotii curam unacum aliis ab ipso delegatis Reginaldo Belnensi Archiepiscopo Bituricensi demandavit: porro hi innovatis, restauratisque legibus jam olim ante centum quinquaginta annos a Carolo VII. Francorum Rege sancitis, nova statuta, quæ jam anno priori die tertia Septembris in Senatu approbata fuere, pro literariæ Reipublicæ incremento condebant, ut autem hæ leges effectui darentur, Marcus Gigoreus Universitatis Rector hoc anno die decima octava Septembris in Mathurinorum Cœnobio conventum celebrabat, in quo præsentibus

Tha. l. 123.

bus

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

bus omnium Facultatum Decanis Jacobus Augustus Thuanus Præses orationem habuit, amplis laudibus Regem commendans, quod Parisiensem Universitatem olim toto orbe Christiano florentissimam, nunc vero non minus, ac ceteras Regni partes, laceram restaurare decreverit, hancque in rem viros doctrina, & prudentia insignes delegerit, qui ex omnium Ordinum sententia leges & statuta præscriberent. Postea recitato Senatus-consulto statuta fuerunt prælecta, ubi inter cetera cautum, ut pueri, juvenesque, qui literis imbuerentur, Regi Christianissimo bene præcari, & Magistratibus obedire doceantur, omnesque exteri, antequam ad aliquem gradum admitterentur, jurarent, se juxta Galliarum leges victuros, & Regi ac Magistratibus morem gesturos, nihilque contra Rempublicam moturos. Præterea prohibitum, nequid in Scholis a Christiana doctrina alienum, vel Regis, Regnique juribus adversum traderetur: recitatis vero variis ejusmodi statutis Ludovicus Servinus universos Ordines ad munus suum fideliter exequendum hortatus, præprimis Theologos admonebat, ut sacras literas assidue evolvant, atque interpretentur, juris autem Canonici interpretes hanc disciplinam ita tradant, ut proxime ad Theo-

Theologorum normam accedant, nihil-
 que asserant, quod juribus regni, ac li-
 bertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adverfe-
 tur, insuper a publica sexti Decretalium
 libri a Bonifacio VIII. editi prælectione ab-
 stinere jubebantur. Finita Servini oratio-
 ne Marcus Gigoreus Rector nomine Uni-
 versitatis Deo, Regi, ac Senatui grates
 rependens se, ceterosque Ordines ad om-
 ne obsequium paratos ostendebat:
 alia denique statuta fuere addita, ac
 quinto post die ad Senatus tabulas re-
 ducta, anno autem sequenti die decima
 quinta Septembris Edmundus Riche-
 rius, Claudius Minos, Nicolaus Ella-
 nius, Joannes Gallandus tanquam Cen-
 sores ad urgenda hæc edicta nomina-
 ti Guilielmo Pullario Sacramentum
 dixere.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1599.

§. III.

Turbæ Hibernicæ.

Interim bellum ante aliquot annos in
 Hibernia pro Religione Catholica su-
 scepium magno ardore continuabatur;
 quippe Hugo Tir-Oeniæ, seu Tyren-
 nius Comes summi Pontificis, Hispano-
 rumque auxiliis suffultus crebras de An-
 glis victorias reportabat, atque Mona-
 steriensis Provincia, imo integra ferme
 Insula Anglorum jugum excutere mo-
 liebatur: propterea Elisabetha Angliæ
 Regi-

*Rapin. de
 Fayras hist.
 d' Angl. L. 17.
 Cambden in
 vita Elis.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

Regina novum Proregem eo destitutum summopere necessarium duxerat, hancque in rem neglecto Montioyo Robertum Essexiæ comitem selegerat, data eidem amplissima facultate, vi cuius ei vel bellum continuare, vel pacem veniamque Tyrennio Comiti, ejusque affectis indulgere, integrum erat: diletis tamen verbis ei præceptum, ut Comitem tanquam rebellium Caput relictum invaderet. Essexius, qui cum viginti peditum millibus, & mille trecentis equitibus exeunte mense Martio in Hiberniam contenderat, posthabito Regine mandato in compescendis Monasteriensis, & Dublinensis Provinciæ rebellibus plures menses insumpsit, haud alio expeditionis suæ successu, nisi ut iterata clade a Catholicis repulsus, integer ejus exercitus ferme deleteretur, atque haud ultra Tyrennio Comiti resistere posset, nihilominus recenti militia auctus, cum copias suas Ultoniæ finibus admoveret, Tyrennius Comes misso Feciali nomine Hagon de concordia peractis agi petiit: annuente ergo Essexio inter utriusque partis Deputatos de induciis usque ad mensem Majum anni sequentis convenerat, ea tamen lege, ut hoc foedus dissolvere utrique parti integrum foret, dummodo quindecim diebus antea desuper mentio fieret: verum

rum hæc ipsa indulgentia Effexiæ Co-
 miti funestum faceſſebat negotium ;
 quippe ab Elisabetha Regina acerbioribus literis increpitabatur, quare nequidem petita redeundi venia ex Hibernia in Angliam profectus est, ubi prævalente invidorum, hostiumque suorum potentia custodiæ dabatur, quo comperto Tyrennius Comes ruptis induciis hæreticos in Hibernia commorantes durius habebat, necnon prompti auxilii a Papa, Hispanisque submittendi spe elatus Anglos ex universa Hibernia penitus eliminandi propositum concepit, totamque Ultoniæ Provinciam suo subjecit imperio, utque eo ardentius vetricium armorum successum urgeret, Clemens VIII. Papa transmissio diplomate eidem, omnibusque ipsi adhærentibus easdem, quæ contra Turcas militantibus concedi solent, indulgentias elargitus est.

§. IV.

Alphonſi Ciaconii obitus.

Hic annus Virorum literis illustrium vitæ sat funestus erat, nam hos inter Alphonſus Ciaconius ad hunc annum a Thuano, aliisque mortuus dicitur, quamvis Antonius in Bibliotheca Hispana tomo II. ipsum anno Domini millesimo sexcentesimo primo adhuc in vivis egisse ac scri-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1599.

Jacob.
 Eckard. de
 Script.
 Præd. tom. 2.
 Thu. l. 122.

Sæcul. XVI. scripsisse testetur: utut vero res se
 A.C. 1599. beat, id omnino compertum est, quod
 Alphonfus Hispano agnomine *Chacon* de
 ctus natione Boeticus, & patria Biatien
 sis fuerit, atque Hispali in Conventu
 sancti Thomæ Institutum divi Dominici
 professus sub Magisterio Ambrosii Mo
 rales in perscrutandis historiæ Romæ,
 & ecclesiasticæ veteribus monu
 mentis tantum profecerit, ut variis elo
 giis veluti *rei antiquariæ peritissimus, an
 tiquitatum helluo, vir eruditissimus*, in
 gnisque Theologus celebrari mereretur:
 unde tam amplæ eruditionis fama Ro
 mam delata Alphonfus a Gregorio XIII.
 summo Pontifice ad eam urbem accer
 situs inter sanctæ Mariæ Majoris Pen
 nitentiarios adlectus est, quo in munere,
 quicquid temporis supererat, totum
 dilucidandis, componendisque, atque e
 dendis Codicibus tam indefessa seduli
 tate impendebat, ut præter plura jam
 edita anno millesimo quingentesimo no
 nagesimo primo adhuc viginti volumi
 na prælo parata haberet: tandem vero
 a Clemente VIII. (ut ferunt nonnulli)
 in Patriarcham Alexandrinum electus
 paulo post Romæ, ubi jam aliquamdiu
 domicilium fixerat, obiit, sepultusque
 fuit in Conventu Ordinis sui ad S. Sabi
 nam, quamvis de ipso hoc sepulturæ suæ
 loco adhuc dubitetur. Reliquit doctus
 hic

hic Auctor plurima ingenii sui monu-
 menta, inter quæ præcipue celebratur
 Historia utriusque belli Dacici a Traja-
 no Cæsare gesti, cujus libri quinque e-
 ditiones variis temporibus factæ ex-
 stant: scripsit etiam historiam de anima
 Trajani, præter quæstionem de S. Hie-
 ronymi Cardinalitia dignitate: ceteris
 vero ejusdem lucubrationibus palmam
 præripere videtur ejus historia de vi-
 tis, ac rebus gestis summorum Pontifi-
 cum, & Cardinalium, cujus libri editio-
 ni Ciaconius decem omnino annis de-
 sudaverat, eo autem morte prævento
 Franciscus Morales hanc historiam ab
 Alexandro VI. usque ad Clementem
 VIII., ac postea Andreas Victorellus
 usque ad Urbanum VIII., demum vero
 Augustinus Oldoinus usque ad Clemen-
 tem IX. protraxerunt, necnon suis ad-
 ditionibus locupletarunt.

Sæcul.XVI.
 A.C.1569.

§. V.

Pauli Parutæ Patritiæ Veneti

mors.

Insuper mensem Februarium hujus an-
 ni sibi exitialem habebat Paulus Pa-
 ruta ex nobilissima Venetorum familia
 ortus, qui omni scientiarum genere
 excultus tanta in extricandis publicis,
 privatisque negotiis solertia, eloquen-
 tia, & prudentia eminebat, ut jure ab
Thuan. l. c.
Hist. Eccles. Tom. LII. M m omni-

Sæcul. XVI. omnibus *Venetorum* Cato nominaretur
A. C. 1599 cum vero omnes temporis reliquias
 terarum otio sacraret, plures lucubra-
 tiones publici juris fecerat, & quidem
 præprimis ediderat de bello Cyprio
 historiam, qua promeritus est, quod e-
 dem patriæ suæ historiam conscribendæ
 cura a Republica demandaretur: ubi
Historiam Venetianam scripsit, quæ pu-
 rimi habita, postremo anno Christi mil-
 lesimo septingentesimo vigesimo tertio
 unacum succincta vitæ hujus Scriptoris
 historia ab Apostolo Zenone Venetis
 edita prodiit: postea Brixienfis Gubet-
 nator, necnon sancti Marci Eques, ac
 Procurator selectus varias legationes
 obibat, præcipue ad Clementem VIII.
 Ferrariæ agentem, necnon ad Margari-
 tam Austriacam, cum ad Sponsum sum-
 deduceretur: insuper ad Philippum III.
 Hispaniæ Regem, ut in Parentis ejus
 morte, ac ipsius Regis inauguratione
 solemni officio defungeretur, a Senatu
 Veneto in Hispaniam decretus est, ubi
 etiam anno ætatis suæ quinquagesimo
 octavo die decima septima Februarii
 naturæ debitum solvit. Scripsit Italo
 sermone commentarios de perfectione
 vitæ politicæ, necnon alios de prudentia
 civili tractatus, quos quodam soli-
 loquio pietatem, veramque animi ma-
 gnitudinem spirante clausit: extrat
 quæ

quoque illius Commentarius in Tacitum, Sæcul.XVI.
A. C. 1599.
præter plures alias ejusdem elucubra-
tiones, quibus ingens sibi nomen apud
eruditos comparabat.

§. VI.

*Laurentii Laureti Carmelitæ
extrema.*

Eadem Venetorum Respublica hoc an-
no jacturam deplorabat insignis cu-
jusdam Theologi: is erat Laurentius
Lauretus Venetiis ex illustri familia or-
tus, qui adolescens Ordinem Fratrum
Carmelitarum ingressus tanta pietatis,
& eruditionis laude florebat, ut ad sub-
limiora Ordinis sui munia selectus, Pro-
curator Generalis, Papæ Theologus, ac
demum a Gregorio XIV. Adriæ, in quo-
dam ditionis Venetæ oppido, Episcopus
renuntiaretur: interfuit quoque sub Pio
IV. Papa Concilio Tridentino, ubi spe-
cialia suæ doctrinæ, ac prudentiæ spe-
cimina edidit, pluresque ibidem oratio-
nes habuit: insuper etiam alios sermo-
nes coram eodem Pontifice, Sixto V.,
& Cardinalium confessu summo cum
applausu declamavit: præterea jussu
Pii V. Pontificis censuram in opera Se-
ptimii Tertulliani elucubravit, cumque
Romæ per plures annos Professor publi-
cus Philosophiam traderet, in Aristote-
lis opera, necnon in libros sententia-
rum

*Possiv. Ap-
par. Cosmas
Bibl. Carm.
lit. L. Frío-
lus in epist. ad
Lecl. in lib.
sent.*

Sæcul. XVI. rum varios Commentarios typis vulge-
A.C. 1599. bat. Edidit etiam tractatus in Episto-
 las divi Pauli ad Romanos, & Galatas
 præter Scholia in Sicardum Cremonen-
 sem Episcopum: denique posteris reli-
 quit responsiones ad diversorum Prin-
 cipum quæstiones, atque Apologiam pro
 Antonio Mario Pro-Episcopo Cremonen-
 nensi contra Calumniatores: præterea
 composuit etiam tractatus de contro-
 versis, & censuris ecclesiasticis. Obiit
 tandem Romæ plusquam sexagenari-
 us.

§. VII.

*Gironis Garcia Loaysæ Archiepiscopi
 Toletani fatum.*

*Thu. l. 122.
 Mancken II.
 lexie. litt. S.
 Iselin. lexic.
 tom. 3.*

His Scriptoribus jure optimo accen-
 seri meretur Giron Garzias de Lo-
 ysa Telaveræ in Castella natus, & Petrus
 Gironis Castellani Consiliarii Filius, qui
 in Complutensi Academia tantum in
 Philosophicis, ac Theologicis disciplinis
 profectum fecerat, ut scientiæ, atque er-
 ruditionis eminentia vix sibi parem nu-
 meraret: his ergo literis, ac præ-
 cipue historica scientia probe imbutus
 Compluto Toletum contendit, ubi ce-
 dente Cognato suo, Lopelio de Carvajal
 Guadalaxarenfis Archidiaconus reman-
 tiabatur, ibidemque usque ad an-
 num Domini millesimum quingentesi-
 mum

mum octogesimum quintum commora- Sæcul. XVI.
 tus a Philippo II. Hispaniæ Rege ad au- A C. 1599.
 lam accersitus est, ut eidem a Con-
 cionibus, & Confessionibus esset, ubi tot
 beneficiis, ac honoribus cumulatus fuit,
 ut idem Rex Filium suum Philippum
 III. ei imbuendum traderet, quo in mu-
 nere Garcias residuum tempus unice in
 indaganda sacræ Historiæ veritate im-
 pendit, atque exacta etiam Concilio-
 rum notitia sibi comparata, collectio-
 nem Conciliorum Hispaniæ edidit. Pos-
 tea ab Alberto Cardinali Austriaco ad
 Belgii administrationem evocato Toletanæ
 Ecclesiæ Vicarius anno salutis mil-
 lesimo quingentesimo nonagesimo sexto
 designatus, ac demum a Philippo II. Rege,
 postquam Albertus Elisabetham Claram
 Eugeniam Hispaniæ Infantem ducere
 statuerat, ad Toletanum Archiepisco-
 patum nominatus fuit, qua tamen di-
 gnitate vix uno semestri fruebatur Com-
 pluti hoc anno die vigesima secunda Fe-
 bruarii anno ætatis suæ sexagesimo
 quinto fatis functus. Ferunt nonnulli,
 illum animi mærore consumptum obiis-
 se, eo quod se a Philippo III., postquam
 hic Patri suo in regno successerat, mino-
 ris haberi, suaque merita negligi æger-
 rime ferret.

Sæcul XVI.
A.C 1599.

§. VIII.

Joannis Livinei obitus.

*Thus. Mench.
& Iselin. l.c.*

Postremus inter Scriptores ecclesiasticos, qui hoc anno mortalitatem euerunt, recensetur Joannes Livineus, qui ex Clara Livinei Torrentii celeberrimi Antverpiæ Episcopi Sorore natus primam lucem Teneramundæ aspexit, vulgo tamen *Gandavensis* dictus, eo quod a teneris Gandavi educatus fuisset. Hic humanioribus literis Coloniz, Lovanii vero Theologiæ operam navavit, ac Græcæ linguæ scientiam probe assecutus sanctorum Patrum studio totum sese sacra- vit, ac demum Antverpiensis Ecclesiæ Canonicus Agnati sui eruditissimi Præfulis vestigia premere intentus, & Rempublicam literariam illustrare sollicitus Romam profectus est, ubi assiduo Bibliothecæ Vaticanæ usu, & ope adjutus tantopere profecit, ut unacum Guiljelmo Cantero Plautinianam Bibliorum editionem adornaret, ac postea Guiljelmo Sirleto, & Antonio Caraffæ Cardinalibus, quorum benevolentiam sibi conciliaverat, in eodem opere suam industriam comprobata redderet: præterea duodecim *Panegyricos veteres* notis illustratos edidit, pluraque Græcorum Patrum opera latinitate donavit, cumque Antverpiam reversus sanctum Gre-

Gregorium Nyssenum Græce publi- Sæcul. XVI.
 ci juris facere meditaretur, morte A.C.1600.
 calamum excutiente ibidem anno æta-
 tis suæ quinquagesimo secundo decima
 tertia Januarii obiit, prope Torrentii
 Avunculi sui corpus in Majori Urbis
 Basilica ad Beatam Virginem sepultus.

§. IX.

*Anni sacri solemnitas Romæ
 celebrata.*

Annus Christi millesimus sexcentesi- Thuan. Hist.
 mus indictionis decimæ tertiæ uni- lib. 124.
 verso Orbi Christiano faustissimus acci- Spond. hoc
 dit ob Jubilæi solemnitatem, quæ die anno n. 1.
 prima Januarii a Clemente VIII. sum- tom. 4. vit.
 mo Pontifice Romæ inchoata per inte- Clem. VIII.
 gram annum maxima omnium natio-
 num exspectatione, ac frequentia fuit
 celebrata, nam vix unquam major erat
 populorum undique confluentium nu-
 merus, adeo, ut in solo sanctæ Trinita-
 tis Xenodochio ad suscipiendos peregrin-
 os exteros destinato quingenta utrius-
 que sexus millia in ejusdem Hospitalis
 tabulis recensita reperiantur, præter in-
 gentem multitudinem illorum, qui in
 variis diversarum Nationum Xenodo-
 chiis, Monasteriis, privatisque domibus
 excepti fuere: ex his tamen nationibus
 Gallica hoc anno concursus frequentia,
 ac pietatis fervore celebrior erat; jam

Sæcul. XVI. dudum enim observatum est, semper
A.C. 1600. Catholicorum pietatem, Religionem-
 que in aliquo Regno eo ardentius fer-
 vere, quo impensius hæreticæ pravita-
 tis fermentum quosdam corrumpere se-
 tagit. Venerant quoque Romam Prin-
 cipes non pauci, Magnates, alique præ-
 cipuæ nobilitatis viri, quos inter emi-
 nebat Bavarix Dux, qui alicujus pere-
 grini habitu indutus, atque incognitus
 in præfato sanctæ Trinitatis Xenodo-
 chio morabatur: præ ceteris vero ipse
 summus Pontifex peregrinantium ardo-
 rem sua pietate, ac liberalitate magis,
 magisque inflammabat; quippe paupe-
 res tum Romam profectos magnis bene-
 ficiis, atque eleemosynis adjuvans ipsius
 illorum pedes sæpius abluit, atque E-
 piscopos inopes nobilissimis ædibus ex-
 ceptos suis sumptibus aluit: insuper
 plurimorum confessiones excipiens illos
 Dominici Corporis cibo refecit, immen-
 sosque thesauros in pauperes profudit,
 simulque, ne Xenodochium ære alieno
 opprimeretur, annum trium aureorum
 millium vectigal eidem attribuit: hoc
 autem, aliisque ejusmodi liberalitatis
 exemplis putidum confutatur menda-
 cium hæreticorum, qui hæc indulgentias
 a summis Pontificibus eo duntaxat
 ex fine adinventas, ac promulgatas
 fuisse spargunt, ut populos sacras opes
 lucrant.

lucranda spe incitatos Romam adire al-
 liciant, eosque suis pecuniis emungant,
 indeque ipsi ditescant: cum tamen certum
 sit, quod eo tempore summi Pontifices
 Nobiles pretiosis muneribus honoran-
 do, necnon in pauperes alendos, alios-
 que maximos sumptus ærarium exhau-
 riri cogantur, vicissim autem cives non-
 nisi exiguum a peregrinis lucrum re-
 portent. Id sat comprobatum redditur
 ex eo, quod sanctæ Trinitatis Xenodo-
 chium æs alienum, quod Jubilæi anno
 millesimo septingentesimo quinquagesi-
 mo celebrati tempore contrahere com-
 pellebatur, necdum expungere potue-
 rit, prout mihi certo constat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1600.

§. X.

*Joannis Calvini Hæresiarchæ Pro-
 nepos ad veram fidem revocatus, ac
 Carmelita Discalceatus
 factus.*

Ad hanc ipsam solemnitatem non mo-
 do Christiani, sed & Turcæ, ac non
 pauci ex Germaniæ Protestantibus, quos
 inter ipse etiam Fridericus Wirtember-
 gæ Dux numerabatur, confluxere, ex
 quibus equidem plerique vel sola cu-
 riositate, urbisque ornatum, ac populi
 frequentiam admirandi desiderio acciti,
 vel etiam solemnnes hosce Ecclesiæ ritus

*Spond. hoc
 ann. n. 2.
 Ciacon. l. c.
 Thuan. l. 124
 Philippus
 p. 3. decor
 Carmel.
 Enchirid.
 Chronol. Eu-
 sepii ad an.
 1614.*

Mm 5 ex-

Sæcul. XVI. exhibilandi libidine stimulatī Romam
 A.C. 1600. venere, eorum tamen non pauci Reli-
 gionis Catholicæ sanctitatem, summi-
 que Pontificis pietatem admirati ejura-
 ta hæresi ad veram fidem reversi sunt,
 maxime in eo dolentes, quod tamē
 tam scurrilibus, infulsisque crimina-
 tionibus, ac mendaciis, quibus Papa tunc
 quam Antichristus, Bæstia Apocalyp-
 tica, & Meretrix Babylonica profcinda-
 batur, a suis Ministris se se deluzi
 passi fuerint. Luculentum hujus rei te-
 stimonium reddit mirabilis plane con-
 versio Stephani de la Favergue, qui Ge-
 bennæ, seu Genevæ ad lacum Lem-
 num circa annum salutis nostræ millesi-
 mum quingentesimum septuagesimum
 natus Patrem Jacobum, Matrem vero
 habuit Rachaelem de Sant-Andre ne-
 ptem Antonii, qui Calvinī Hæresiarchæ
 frater germanus erat, in cujus ædes
 Stephanus post utriusque Parentis sui
 obitum translatus in ipso hæresis for-
 te venenum liberaliter hausit. Postea
 Heidelbergæ absoluto jurisprudentiæ
 civilis studio sanguine sibi junctos vilen-
 di gratia in Sabaudiam profectus est,
 quo in itinere cum sancto Francisco Sa-
 lesio, qui hoc anno in Gebennensis Ec-
 clesiæ Coadjutorem electus erat, de re-
 bus fidei contulit, ac sæpius ab eo ad
 amplectendam fidem Catholicam inci-
 taba-

ſæcul. XVI.
A.C. 1600.

tabatur, ſemper tamen in hæreſi obſtinatus reſpondit, ſe unicum eſſe celeberrimæ proſapiæ decus ad propagandam novam Reformationem Orbi relictum: cum vero hoc anno Domini milleſimo ſexcenteſimo Romæ Jubilæi ſolemnitas celebraretur, ipſe quoque, ut confideratis Catholicorum ſacris ea apud ſuos in ludibrium vertere poſſet, Romam pergere ſtatuit, ſuumque conſilium Theodoro Bezæ Calvini Succellori manifeſtans, unacum alio iniquitatis Socio iter aggreſſitur, a quo tamen omnibus bonis ſuis prope Urbem ſpoliatus, ac inſuper Romæ periculofa febrî correptus, propter inopiam ad Xenodochium confugere cogebatur, ubi admonitus, quod Medici præſentiam Confellarii adventus præcedere ſoleat, ne ſe hæreticum eſſe proderet, Catholicum ſimulans, Confellarium natione Gallum ſibi accerſiri petebat: accedit ille, qui mox Patrem Petrum a Matre Dei Carmelitam Diſcalceatum Apoſtolicum ſummi Pontificis Concionatorem convenit, eique totum hujus infirmi juvenis ſtatum manifeſtat: idipſum quoque Pater Petrus ſuggerit Clementi VIII. Papæ, qui hoc nuntio lætiſſimus præ gaudii ubertate flevit, ipſum Cardinalem Baronium rogans, ut utramque hujus Calviniftæ ſalutem opportunitis remediis promoveret.

Sæcul. XVI. ret. Nec segnīs, nec vana erat huius
A.C. 1600. Purpurati sollicitudo; quippe Stephanus paulo ante tam corporis, quam animæ morbo graviter laborans pristinam sanitatem Medicorum remediis, animæ vero suæ salutem, fideique lumen salutaribus documentis sibi a Patre Petro uberrime propinatis trigesimo ætatis suæ anno recepit, unde ab eodem Cardinali Baronio ad summum Pontificem introductus, atque ab eo perhumaniter exceptus aurea catena donatur, & demum veræ fidei doctrinis magis institutus, necnon de falsitate convitiatorum, quæ suæ sectæ Ministri de Papa, Romana Ecclesia, Cardinalibus, & Religiosis nequiter spargebant, plene convictus, ore, & opere se Catholicum profitebatur, & quamvis a summo Pontifice de domo, sui que generis digno famulatu, aliisque subsidiis abunde provivus esset, necnon ampliores honores, ac pinquiora beneficia sperare posset, ad altiorem tamen vitæ perfectionem aspirans perlectis sanctæ Theresiæ libris post iteratam vocationis suæ discussionem Ordinem Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Romæ anno sequenti ingressus est, annuente, imo & applaudente summo Pontifice, qui concessa benedictione Apostolica eidem suum nomen imposuit, ipsumque Cl-

mentis

mentem a Sancta Maria appellari voluit: demum vero anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo secundo die decima quarta Julii novus hic Carmelita solemniter votorum sponsione sese totum Deo consecravit, ac postea præcipuis Ordinis sui officiis cum singulari prudentiâ functus die decima nona Augusti anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, ætatis vero suæ septuagesimo septimo Avinionæ non sine sanctitatis opinione obiit: ceterum mira hujus viri conversione permoti tres ipsius consanguinei pariter fidem, ac reformati Carmeli Institutum amplectebantur, ejusque famulus, quem ex Sabaudia adduxerat, Herum suum imitatus, octo diebus ab ejus ingressu vix elapsis, ipse quoque in eodem cœnobio fratribus laicis accensebatur, dictus Frater Claudius a sancto Petro.

Sæcul.XVI.
A.C.1600.

§. XI.

*Henricus Lotharingus Barrensum
Dux Romam veniens.*

Eodem hoc anno Henricus Caroli Lotharingæ Ducis Filius, ac Barrensum Dux Romam die decima quinta Maji venerat, Pontificis absolutionem, ac dispensationem impetraturus; quippe anno priori Catharinam Henrici IV. Gallia-

Spond. hoc
anno n. 3.
Thu. l. 124.
Ossat. epist.
218. & 221.

Sæcul. XVI. Galliarum Regis sororem sibi sanguine
A.C. 1600. junctam, ac Calvinianæ hæresi adhi-
 cissimam ministerio Rothomagensis Ar-
 chiepiscopi absque prævia sacræ Sedis
 dispensatione sibi copulaverat: cum igitur
 tur continuis conscientia læsæ stimulis
 vexaretur, ac insuper Jubilæi indulgen-
 tias consequendi desiderio flagraret, ad
 summi Pontificis pedes provolutus legem
 veniam sibi fieri, seque a præteritis delictis
 solvi impense efflagitabat. Pontifex, nisi prius
 Catharina hæresin ejiceret, dispensationem
 constanter quidem denegabat, simul tamen per
 Oflatum Cardinalem, & Sillerium regios Minis-
 tros Duci significari jubebat, quod ipse in
 Lotharingiam iturus esset, si qua spes de
 Catharinæ conversione foret: attamen Dux,
 quamvis Conjugem suam obfirmate in sua
 hæresi perstituram persuasus, altera vero ex
 parte de propria animæ suæ salute anxius
 esset, nihilominus pollicebatur, quod Cathari-
 nam dimittere, nec unquam ad eam reverti
 vellet, donec ea conversa Pontifex dispensa-
 verit: qua conditione proposita Confessarium,
 ut ab eo absolveretur, annique sacri thesaurum
 consequi posset, eligere permittebatur. His
 impetratis Roma discedens Florentiam
 ad sororem suam Etruriæ Ducis conjugem
 secessit, ac per integros ferme tres
 annos

annos a Catharinæ Uxoris suæ, quam Sæcul XVI.
 tamen summopere diligebat, consuetu- A.C 1600.
 dine abstinuit.

§. XII.

*Alincurtii Gallici Oratoris negotia-
 tio cum summo Pontifice.*

Jam supra memoravimus, Carolum Thu. 83
 Neovillum Alincurtium Villaregii fi- Spond. l. 6.
 lium ab Henrico IV. Galliarum Rege Vid. Hist.
 Romam fuisse decretum, ut non modo Eccl. l. 183.
 ob matrimonium nuper dissolutum gra- n. 82.
 tes referret, sed de nova uxore ducen-
 da consilium a summo Pontifice Regis
 nomine expeteret; Henrico enim in
 Conjugem proponebatur Maria Medi-
 cæa Francisci olim Magni Etruriæ Du-
 cis Filia, quæ in Ferdinandi Patru sui
 Aula educabatur. Placuit Clementi
 hoc Regis propositum, quocirca
 mox Mense Aprili Sillerius Gallicus
 Orator Roma Florentiam abiit, ut pa-
 ctis jamjam conditionibus subscriberet:
 sub idem quoque tempus Rex Rogerium
 Bellogardium supremum Regii stabuli
 Præfectum ablegabat, qui suo nomine
 cum Maria sponsalia iniret, quod etiam
 die quinta Octobris, nuptialem benedi-
 ctionem impertiente Cardinali Aldo-
 brandino Pontificis Legato, præstitum
 est, quibus peractis nova sponsa die de-
 cima tertia Octobris Florentia Libur-
 num

Sæcul. XVI
A. C. 1600.
num contendit, inde vero e porto
vens decima septima ejusdem Mensis
triremibus Pontificiis, Florentinis, &
Melitenfibus stipata tertio Novembris
Massiliam appulit, a quatuor Cardina-
libus, aliisque primæ Nobilitatis Viri-
fæminisque illustribus excepta: post
quam vero die secunda Decembris Lug-
dunum pervenerat, ibidem a Regis
sponso suo die nona ejusdem Mensis
tenerrimo affectu honorata fuit, ubi
etiam idem Rex, præsentè rursus e-
dem Cardinali Aldobrandino, nuptiarum
solemnia publice celebrabat, tanta ce-
lesti benedictione, ut ex prospero hoc
connubio intra novem Menses glorio-
sissimus Regni hæres Ludovicus XIII.
nasceretur.

§. XIII.

*Andreas Cardinalis Austriacus Romanus
mortuus.*

Spond. n. I.
Thu. l. 124.
Ciacon.
tom. 4. p. 48.
Præter Parmæ Ducem, Henricum
Gusmanum Proregem, aliosque Prin-
cipes, quamplurimi etiam Cardinales
anni expiatorii indulgentias consecuti-
ri Romam sub idem tempus venerant,
quos inter postremus urbem ingredie-
batur Andreas Austriacus Cardinalis
Ferdinandi Archiducis, & Philippinæ
Valzeræ Filius, qui incognitus, sac-
coque peregrinantium more amictus &

& nonnisi quatuor, aut quinque do- **Sæc. XVI.**
 mesticis stipatus Romam accesserat, **A.C.1600.**
 ubi sacra templa invisens rara humilitatis, pietatisque specimina ediderat, tandem vero a quibusdam agnitus noctu, invitus licet, a Cardinali Aldobrandino ad Papæ Palatium deducebatur, ab eodem humanissime exceptus, quo etiam annuente Neapolim secessit, ibidem sancti Januarii Caput, Sanguinem, & reliqua ipsa veneraturus: inde Romam reversus in Pontificiis ædibus acuta febris correptus est, in cujus cubiculo ipse summus Pontifex ad majus infirmi solatium sacris operatus est, atque eidem sacrum administrabat viaticum, quo pie recepto Andreas editis veræ fidei, pietatisque signis inter Christi Vicarii brachia hoc anno die vigesima secunda Novembris animam Deo reddidit, in Ecclesia Beatæ Mariæ de Anima, dum corpus ejus postea fuit translatum, die prima Decembris in defuncti laudem perorante Pompejo Ugonio. Erat hic Princeps Maximiliani Cæsaris Nepos, Pragæ die decima quinta Junii anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo natus, & unacum lacte materno pietatis, Religionisque Catholicæ affectum hauriebat, atque animam virtutibus, ingenium vero omni scientiarum genere, &

Hist. Eccles. Tom. LII. N n qua-

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

quatuor linguarum peritia excolebat, quibus prærogativis ornatus, decimo quinto ætatis suæ anno Romam contulit, ubi a Gregorio XIII. Papa Vaticano Senatus Purpura honoratus præclaræ prudentiæ, regiæque celsitudinis specimina reliquit, inde autem exacto biennio revocatus, Comitatum Tirolensem nec non Gebrardo Truchsesio Catholicam fidem deserente, Ecclesiam Carniensem tanquam Legatus Apostolicus ac tandem sub Sixto V. Constantiensem, & sub Gregorio XIV. Brixientem sedem Episcopus regendam suscepit. Postea Alberto Archiduce in Hispaniam proficiscente, a Catholico Regi Belgii Administrator nominatus populos in fide Catholica, militesque in officio continebat. Interfuit sacris Comitiis, in quibus Sixtus V. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. summi Pontifices inaugurabantur.

§, XIV.

Clementis VIII. conatus pro dirimenda lite circa Salutarum Marchionatum.

Thu. 1. 124.

Spond. n. 7.

Daniel. hist.

de France

tom. 10. p.

261.

Interim Carolus Emanuel Sabaudie Dux, cum se nonnisi quæstis conversationibus, vanisque promissis, verisque officiosis distineri cerneret, ipse in Franciam ad Henricum IV. Regem pergere

pergere statuit, ac die prima Decem-
bris Cambrio profectus ab ipso Rege
Parisios deducebatur, ubi die prima Ja-
nuarii hujus anni magnificis muneribus
omnes, quos Regi percaros noverat,
præcipue vero Henricam Entraguam
Regis Amasiam, nec non Bironium
Marescallum sibi devincire intentus, ex
illis haud obscure intelligebat, quod
Rex Salutarum Marchionatum, de quo
inter utrumque Principem lis erat, Sa-
baudis eripere constituisset, nihilomi-
nus Emanuel hac super re inter utrius-
que partis Delegates desuper conferri
voluit; quapropter Rege etiam annu-
ente summi Pontificis nomine Bona-
ventura Calatagirona, Patriarcha Con-
stantinopolitanus, atque Apostolicus
Franciæ Nuntius selecti sunt unacum
Lullino Marchione, Bartono Equite,
Dominico Bellio Cancellario, & Ron-
casio, qui Sabaudi partes sustinerent:
Regis autem jussu intererant Franciæ
Connestabilis, Cancellarius, Rosius,
Bironius, & Villaregius. His igitur
in Henrici Momorantii domo conveni-
entibus, postquam de utriusque jure in
præfatum Marchionatum diu, multum-
que disceptatum, tandem de concor-
diæ pactis agi cæptum est, & quidem
primo a Sabaudicæ Ducis Deputatis pe-
tebatur, ut Franciæ Rex Genevensium
pergere

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

N n 2

pa-

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

patrocinium dimitteret, eo quod Pontifex hæreticorum Primipilos adversus legitimum eorum Principem a Christianissimo Rege defendi ægerrime ferret. hæc autem petitio, cum Calatagirona Patriarcha nullum ea de re mandatum a Papa sibi datum diceret, mox rejecta est, prævalente propriæ utilitatis spe. Secundo loco Delegati postulabant, ut Salutarum Marchionatus Duci relinquere ea lege, ut Sabaudia Duce aut Regi homagium præstarent, vel quasdam Brixia Urbes, arcesque bello partas cederent; ut vero Gallis libertatem in Italiam aditus panderetur, Dux Cuneum Urbem traderet: verum Regem Marchionatum omnino sibi cedi, vel saltem interea sequestri nomine summo Pontifici relinqui postulante Patriarcha Constantinopolitanus proponebat, Salutarum ditionem Regi quidem interim tradendam, ea tamen conditione, ut nullius Gubernator sit Duci addictus, qui Marchionatum non alteri restituat, nisi cui post litem intra biennium, vel triennium dirimendam illum Papa adjudicaverit, interea vero Helvetii Religione Catholici urbibus præsidiarii imponerentur. Ad hæc Rex duplex proposuit pactum, cujus primi conditiones erant sequentes: I. Marchionatus die prima Junii Regi reddatur, eique Gubernator Duci

Sæcul XVI.
A.C.1600.

Duci minime suspectus præficiatur II. Præfidiarii, quamdiu compromissum cum Papa durabit, sint natione Helvetii. III. Si Dux Marchionatum restituere optaverit, de eo idonee caveat: si vero Marchionatum restituere nolit, tunc I. Brixie Comitatum, Perusium, & Pignerolium unacum Burgo, ceterisque Urbibus usque ad Argentarium montem cedat. II. Rex facta cessione omnia jura, quæ ratione Marchionatus habet, in Sabaudum transferat. III. Beco - Delphino penitus destructo utriusque ditionis subditi, qui alterutri militarunt, in gratiam recipiantur. IV. Dux, quodnam ex duplici hoc pacto seligere voluerit, intra tempus, quod usque ad primam Junii diem fluxerit, deliberet, mentemque suam integra fide declaret: interea de ceteris controversiis Pontifex arbiter selectus pronuntiet, cujus sententiæ utraque pars stare promittat. Hæ conditiones die vigesima septima Februarii fuerunt utrinque signatæ: exacto autem triduo Sabaudus Parisiis discedens die decima quarta Martii Burgum, inde vero Cambrium pervenit, ubi datis ad Regem literis significabat, quod de optione sibi proposita, quamprimum Taurinum venerit, deliberare vellet: porro interea Dux Roncasium in Franciam decernebat,

N n 3

nebat,

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

nebat, ut pactorum executionem usque ad mensem Augustum differri peteret: alia vero ex parte Bellum Cancellarium suum suppetias ab Hispanis impetratorum ablegabat, quorum promissis deceptus Franciæ Regi significari iussit, se nunquam Salutias redditurum: si tamen Rex hunc Marchionatum eidem vi eripere vellet, se ei quadraginta annorum negotium facessiturum. Hoc responso, nec non Ducis tergiversatione irritatus Rex Sabaudia Legato abire iusso bellum parabat, dabatque negotium Bironio Marescallo, ut Brixiam invaderet, qui etiam die undecima Augusti copiis in aciem eductis plurimas occupabat urbes: quo comperto Caltagirone Papæ Nuntius die decima quinta ejusdem Mensis Gratianopolim, ubi Rex erat, profectus novas conditiones proposuit, eum tamen Rex cum suis Ministris Lugduni conferre iussit: interea vero Diquierius, qui alteri Gallorum exercitui imperabat, totam semine Sabaudiam Duci eripuit.

§. XV.

Papæ Patrocinium a Duce imploratum.

*Daniel Hist.
de France
tom. 10. p.
271.*

Sinistro hoc armorum successu territus Sabaudia Dux in summi Pontificis patrocinio pro rebus suis penitus desperatis opem quærebat, quapropter Sues-

fæ Ducem Romæ Hispani Regis Oratorem instigabat, ut Papam juxta pacta nuper inita tanquam Sequestrum pacis Regem inter, & Ducem imploreret, nec non Hispaniæ Regis nomine exponeret, quatenus Franciæ Rex in Salutarum Marchionatus compensationem urbibus trans Alpes sitis (excepto Pignarolio) contentus esse velit. Hæc etiam Hispanus Orator proposuit summo Pontifici, qui tamen primo tergiversatus tandem Cardinalem Petrum Aldobrandinum Nepotem suum ad Franciæ Regem ablegabat, ut inter utrumque Regem pacem conciliaret. Quamprimum ergo Cardinalis Tortonam Mediolanensis Ducatus urbem venerat, mox Sabaudia Dux, & Parisiensis Archiepiscopus Papæ Nuntius unacum Mendosio de Ledesma Hispaniæ Regis Legato Cardinalem accessere, habitoque colloquio decreverunt, Franciæ Regem eo esse inclinandum, ut Brixiensem comitatum in compensationem Salutarum Marchionatus acceptaret. Hoc stabilito Cardinalis Legatus ineunte Mense Novembri Cambrium venit, ubi misso Herminio, quem a Secretis habebat, Regem de suo adventu, ac Legationis causa certiolem reddidit, præprimis efflagitans, ut ab armis interea utrinque cessaretur: verum Rex per-

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

*Thu. &
Spond. l. c.
Mem. de
Bentivog.
c. 3. & 6.*

N n 4

Her-

Sæcul. XVI
A.C. 1600.

Herminium Cardinali significabat, quatenus tamdiu, donec Monmeliana urbs occupata esset, Cambrii subsisteret, quo etiam vigesima quinta Novembris Rex post captam urbem contendit, ubi Legatum Pontificium, quin, prout alias in Gallis observabatur, ejus potestas a Parisiensi Senatu limitaretur, perhonorifice excepit, nec non post varias pacis frustra tentatæ propositiones rem cum Villaregio Lugduni conferri voluit, ac tandem impellente Cardinali Legato Rex propositas condiciones ratas habuit, quarum præcipue sunt sequentes. I. Sabaudia Dux totam Brixiam unacum Rhodano fluvio a Genevensi urbe Lugdunum usque Regi cedat. II. Pons Gesfi, aliaque oppida, ut ex Sabaudia in Burgundia comitatum aditus pateat, Duci relinquatur, ita tamen, ut sine Regis consensu nunquam copiae per pontem transmitti queant, ac propterea Burgensis arx Regi restituatur, Dux vero centies mille aureos pro pontis transitu pendat. III. Gesiana Præfectura, ceteræque Delphinatus Urbes ultra montes Regi reddantur. IV. Dux Beco - Delphinatus propugnacula solo æquare teneatur. V. Vicissim Franciæ Rex Salutiarum Marchionatum, Centalim, Demontium, aliasque urbes cum omnibus oppidis, & arcibus, quæ hoc bello

bello in ditione Sabaudica fuerunt occupatæ, Duci restituat, horum tamen locorum apparatus bellicum, atque annonam retinere valeat. Hæc pacta anno sequenti die decima septima Januarii Lugduni per Ducis Delegatos subscripta, ac primum a Duce mense Martio rata habebantur, nonnisi autem Mense Decembri ejusdem anni a Rege Parisiis interposita juramenti Religionem firmata fuere.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

§. XVI.

*Disputatio publica inter Davidem Perronium Ebroicensem Episcopum,
& Philippum Mornæum Calvinistam.*

Hoc item anno, postquam Sabaudia Dux e Gallis discesserat, Rex vero Pontem Bellaqueum repetierat, celebris habebatur disceptatio inter Jacobum Davidem Perronium Ebroicensem Episcopum, & Philippum Mornæum; hic enim ceteroquin Vir pacis ac bello summus Hugonottarum tamen sectæ addictissimus post Vervinensem pacem, & Nannetense edictum a publicis curis vacuus totum se libris in Calvinistarum favorem edendis sacrabat, quos inter præcipuus erat, cujus jam supra mentionem fecimus, nefandus liber de Missæ abusibus, in quo adductis prope

*Spond. hoc anno n. 9.
Daniel pag. 280.
Thu. p. 895.
lett. du Ples-
fis, ala
Duche. de
Bar. 30.
Maj. 1599.*

N n 5 in-

Sæcul. XVI. infinitis sanctorum Patrum, veterum
A.C. 1600. que Scholasticorum textibus, Eccle-
 siam Romano-Catholicam in pluribus
 articulis a veteris Ecclesiæ doctrina de-
 scivisse, demonstrare nitebatur, fatali
 tamen conatus sui successu; cum enim
 Genevenses Calvinistas, & Franciæ
 Ministellos in laboris sui opem socios in-
 vocaret, hi pro hæreticorum more non
 nisi mutilos, depravatos, aut in re-
 probum sensum detortos sanctorum Pa-
 trum textus eidem subministrabant, ipse
 vero eorum fidei integritati nimia cre-
 dulitate confusus, librum suum adu-
 lterina hac merce adeo copiose infarcie-
 bat, ut plures ex Catholicis Doctori-
 bus, & Prædicatoribus hæc fallitates
 ore, & calamo redarguerent, & loco-
 rum sublesta fide allegatorum cata-
 logum ederent, unde ipsa etiam Cathari-
 na Regis Soror, ac Barrensis Ducis
 Conjux a Commoletto Jesuita admonita
 datis literis Mornæo significabat, quod
 tanquam falsarius a Catholicis traduce-
 retur: porro ille se ad libri sui, argu-
 mentorumque veritatem adversus quem-
 cunque propugnandam omni tempore
 paratum esse jactitabat: verum hujus
 Goliathi fastum veri Israelitæ adeo non
 timebant, ut illum etiam Burdigalen-
 ses, & Parisini Doctores, atque inter
 eos Frontono - Ducis Jesuita, scriptis
 suis

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

fuis ad agnoscendam ipsius perfidiam provocarent, imo ipsimet etiam Sectæ suæ fautores, ut sese defenderet, illum stimularent, quibus tamen respondit, quod hactenus duntaxat a Monachis, & quibusdam Scholasticis fuisset laceffitus, si tamen quidam majoris nominis vir ipsum impugnare ausurus esset, valido mox responso os ei obstruere vellet; percepta igitur hujus hæretici arrogancia David Perronius Ebroicensis Episcopus Sant-Mariæ Montano Hugonottæ significabat, quod cum Plessio in arenam descendere paratus sit, atque ab eo plusquam quingentos textus e sanctis Patribus, aliisque Auctoribus falso fuisse citatos demonstrare velit: quapropter Mornæus ignaviæ contumeliam declinaturus stimulante eodem Montano libellum supplicem, quem tam ab hoc Episcopo, quam ceteris adversariis suis subscribi voluit, Lutetiæ vulgavit, in quo die vigesima Martii per Bullionium Ducem a Rege petebat, ut ad dijudicandum hunc librum quosdam scientia, & probitate insignes Viros nominare dignetur. Annuit quidem Henricus Rex, obstitit tamen Mutinensis Præsul Papæ Nuntius, qui disputationem in rebus fidei coram laicis iudicibus haberi sat periculosum esse assererat, datisque Romam literis Clementem Papam de-

Sæcul. XVI. defup r certiozem reddebat, qui pariter
A.C. 1600. Religionis articulos forte in dubium re-
 vocari veritus non sine animi anxietate
 rem Oflato Cardinali manifefabat, a
 quo tamen admonitus, quod nullate-
 nus de rebus fidei, fed duntaxat de
 textuum a Plessio allegatorum integri-
 tate concertatio efflet decreta, eo le-
 bentius affensum suum præbuit, quo
 certius detecta hujus hæerici fraude
 non pauci ex ipsis etiam Protestantibus
 ab errore discessuri credebantur.

§. XVII.

*Cancellarii oratio ad disputationis
initium.*

*Daniel &
Thuan, loc.
cit.*

Rex suo nomine interesse voluit Pom-
 ponium Bellevreum Cancellarium,
 qui ex Catholicis Judices nominavit
 Jacobum Augustum Thuanum, Fran-
 ciscum Pitheum, & Nicolaum Fabrum;
 pro parte autem Protestantium Sofre-
 dum, Calignanum, & Isaaccum Calau-
 bonum; cum autem Faber, & Sofre-
 dus interesse præpedirentur, primo sub-
 rogabatur Joannes Martinus, alteri ve-
 ro Philippus Canajus Præses: Thua-
 nus quoque, eoquod necessitudine, &
 amicitia Mornæo junctus, aliunde Hu-
 gonottis sat propensus efflet, judicis
 munus deprecabatur, Regis tamen ius-
 su hanc provinciam in se suscipere iur-
 beba-

Sæcul.XVI.
A.C.1600.

bebatur : horum igitur electione ab utroque Pugile ratishabita primo de hujus concertationis norma disceptatur, ubi Mornæus suæ cauffæ diffusus hanc disputationem eludere nitebatur, cauffatus, Regem a se alienatum esse : nihilominus dies publico certamini dicitur quarta Maij, ubi Plessius omnes locos, qui alicujus falsitatis arguebantur, proponi postulabat, Perronio autem interim sexaginta proponente Bellevreus in Fontis-Bellaquei Palatii aula post meridiem præfente Rege, pluribus Præfulibus, Principibus, aliisque primæ Nobilitatis Viris, ac Doctoribus, atque ipsis etiam Hugonottarum Ministris orationem habuit, in qua utramque contententium partem ad debitam moderationem hortatus, hanc disputationem nullatenus circa Religionis capita versari exponebat, eoquod Rex absque summi Pontificis consensu de fidei articulis ab Ecclesia definitis agi nunquam permissurus esset. Tum finita Cancellarii oratione ipsemet Rex palam profitebatur, quod de nullo Religionis Catholicæ articulo dubitet, minus vero de Ecclesiæ decisionibus conferendi auctoritatem sibi arrogare intendat : postea Cancellario præcepit, ut sedulo præcaveret, ne forte disputationis æstus ab examine facti ad quæstionem juris

ris

Sæcul. XVI. ris declinet. Posthæc Perronius Epi-
A C. 1600. scopus proluxa oratione Regis submissio-
nem erga sedem Apostolicam commen-
davit, atque eum ab illo Judæorum
Rege, qui thuribulum, seu auctorita-
tem in res sacras sibi arrogabat, longe
alienum, imo potius comparandum dixit
Constantino, Valentiniano, Theodoro
I. & II. Imperatoribus, qui de fidei
controversiis liberum, integrumque ju-
dicium Ecclesiæ Pastoribus reliquerat.
demum sermone ad Mornæum conve-
so declarabat, quod eum falsitatis re-
darguere non intendat, sed duntaxat
illos Hugonottarum Ministros, qui ad
fulciendam suam hæresin, & seducen-
dos populos data opera adulteratos tex-
tus eidem subministraverant: ad hæc au-
tem reposuit Mornæus, professus, quod
in tanta textuum copia facile nonnulli
perperam allegati irrepere potuerint,
id tamen decipiendi animo nullatenus
factum assererat. Præmissis hæc El-
roicensis Episcopus confectum jam ante
duos dies catalogum sexaginta textuum,
qui aut mutilati, aut depravati, vel in
contrarium sensum detorti profereban-
tur, adversario suo exhibebat, pollici-
tus, se paulo post reliquos quadringen-
tos, & quadraginta producturum: ex
his vero Mornæus pro futura discusso-
ne nonnisi novemdecim selegerat, quo-
rum

rum depravationem facilius excusari posse confidebat; verum jam in primo colloquio fateri cogebatur, quod in textibus ex Scoto, & Durando contra præsentiam Corporis Christi realem allegatis ea, quæ ambo hi Doctores sibi met ipsis obiiciebant, velut ab ipsis decisa citarit, quam etiam hallucinationem omnes adstantes manifeste apprehendebant: insuper Episcopus alia duo testimonia S. Chrysofomi, nec non varios textus ex sanctis Hieronymo, Cypriano, Theodoro, & Bernardo de invocatione Sanctorum, atque adoratione sanctæ Crucis truncate, confuse, aut omnino supposititie, falsoque fuisse adductos demonstrabat, ita veritatem fatentibus cunctis Judicibus, ac Cancellario. Tandem sole ad occasum inclinato, primum illius diei colloquium solvebatur, ceterorum textuum discussione in alteram diem remissa: attamen Plessius ex præcedentis diei vigilia, aut potius sinistri successus tædio, & ignominia se morbum contraxisse ajebat, hancque in rem summo mane Riverium Archiatrum ad Regem ablegabat, qui ob adversam valetudinem Mornæum a proxima concertatione præpediri nuntiaret; nihilominus hic idem Plessius paulo post conscenso equo nec Rege, nec Cancellario salutatis Fontebellaqueo

vio-

Sæcul.XVI.
A.C.1600.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

violata promissionis fide affugit, die
octava Maji Parisios, inde Salmurium,
ubi Præfectum agebat, delatus. Ali-
quot post Mensibus infamæ, pudoris
que vehementia audaciam acuate Ples-
sius, qui vulgo *Hugonottarum Papa* di-
cebatur, in usitato hæreticorum, qui
licet devicti, triumphum tamen canere
solent, artificio desperatis rebus suis re-
medium quærebat, libello in vulgus
sparso, quo hujus colloquii acta, suc-
cessumque in suum favorem recenserebat,
nec non adductos textus contorta inter-
pretatione explicans, vehementer que-
rebatur, quod ipsemet Rex datis ad
Espernonium Ducem literis hæc verba
inseruisset: *Ebroicensis Ecclesia Salmurien-
sem Synagogam devicit.* Mox etiam Per-
ronius Episcopus hujus disputationis
actis regia auctoritate editis Plessii Apo-
logiam tam valide confutabat, ut ejus
adversarius, quocumque se verteret, se
propudiose devictum fateri compellere-
tur, hujus victoriæ veritatem ipsis etiam
hujus sectæ affectis fateri coactis, quod
inter Sullius Hugonotta in commenta-
rio suo adducit responsum, quod Rol-
næus Baro, etsi juratus esset Hugo-
notta, Regi hanc in rem dederat:
„Plessius, inquit citatus Sullius, infirmis
„adeo argumentis causam suam defen-
„debat, ut hos ad risus, illos ad iram,
„alios

*Mem. de
Sulli Hu-
gon. tom. I.
6. 95.*

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

alios ad miserationem commoveret, quo comperto Rex Rosnæum interpellans agebat: *Hem, quid tibi videtur de tuo Papa. Mihi videtur, respondit Rosnæus, quod plus, quam appareat, Papa sit, eo quod Ebroicensi Episcopo purpuram Romanam collaturus sit: ut autem verum fatear, nunquam vidi hominem adeo perplexum, nec ullum, qui tam insulse sese defendit, præter Mornæum novi, hinc si nostra Religio firmiori non inniteretur fulcro, quam Plessii crura, & brachia decussatim posita (ita enim semper pedes, manusque suas Plessius tenebat) hodie potius, quam cras huic sectæ nuntium mitterem. Pariter potissimi Protestantium Ministri ob ignominie notam a Plessio, quem veluti hæresis suæ columnam venerabantur, sectæ suæ illatam ringebant, alii vero Hugonottæ minus de sua Religione solliciti infamiam facetiis eludebant, quos inter quidam Tribunus secta Calvinista cuidam Ministro lamentanti, quod Ebroicensis Plessium jam circa plures Patrum locos devicisset, sat facete respondit: „quid refert? salvus utique adhuc superest locus Salmurensis: „ Hoc dicto significabat, Plessio Salmurium, cuius Præfecturam ob confectam Regem inter, & Henricum III. unionem acceperat, adhuc integrum remanere.*

Sæcul. XVI.A.C. 1600.

Ceterum ex hac Perronii victoria haud exiguum Religioni Catholicae molumentum accrescebat; quippe ipse met Rex responsionum, quibus Pleissus Episcopi argumenta dissolvere nitetur, imbecillitatem serio perpendens in fide Catholica firmabatur, pluresque ab ea devios ad ejurandos errores incitabat, nam paulo post Philippus Canajus præstanti ingenio vir, qui unus ex Delegatis Hugonottarum Judicibus erat, sublestam Protestantium Ministrorum fidem detestatus hæresin abjurabat: insuper alter eorum Judex nomine Casaubonus a Canaji exemplo unice animi levitate, & utrique parti complacendi studio absterrebat, ipsius tamen Filius non modo catholicam amplectebatur fidem, sed etiam Cappucinatorum institutum professus est. Eodem tempore Cancellarius, & Villaregius Concilium Tridentinum in Galliis promulgari, nec non Patres Societatis contra Parisiense edictum reduci, vehementer urgebant. Rex tamen bellum adversus Sabaudum adhuc fervere causatus rem ad tempora magis quieta differendam respondit.

§. XVIII

§. XVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

*Perfida Hugonottarum oppositio ad-
versus quemdam Edicti Nanne-
tensis articulum.*

*Hist. de Pro-
gres du Cal-
vinis. l. 8.*

*Daniel Hist.
de France
tom. 10.*

*p. 287,
Vid. Hist.
Eccles. ad
ann. 1598.
§. XIV.*

Interea Hugonottæ nil a pervicaci sua
arrogantia, ac rebellionis prurigine
remittebant; quamvis enim sua violen-
tia Regem ad Nannetensis edicti pro-
mulgationem compulissent, ac ipsimet
interposita etiam juramenti Religione
omnes hujus edicti articulos integra
fide se servaturos spondissent, nihilo-
minus Occidanæ Catholicos ad officia,
ut vocant, electiva, necnon ad munia
in hujus Provinciæ urbibus subeunda
admittere recusabant, quamvis quodam
præfati hujus edicti articulo disertis
verbis sancitum esset, quod tam Catho-
lici, quam Hugonottæ æquo jure ad e-
jusmodi officia seligerentur: de hac i-
gitur repulsa Catholicis haud immeri-
to querentibus Rex justitiam fieri præ-
cipiebat: attamen Hugonottæ adeo
pervicaciter parere renuebant, ut Con-
nestabilis hujus Provinciæ Gubernator
interposita etiam omni, qua pollebat,
auctoritate haud amplius ab eis impe-
trare posset, nisi ut electiones suspende-
rentur, donec Rex nova daturus esset
mandata. Nec hac indulgentia con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

tenti Hugonottæ Salmurium ad Conventum suum, quem spreto Regis interdicto, & violata Nannetensis edicti fide adhuc continuabant, suos ablegabant Deputatos, ex quorum consilio Hugonottæ, ac præprimis Bullionius, & Tremollius Duces contra Regis mandatum in Occidaniam transmissum tertiam vice reclamabant: verum Rex eorum pertinaciæ cedere haud consultus ratus sibi omnino obtemperari voluit.

§. XIX.

Continuatio controversiæ inter PP. Dominicanos, & Jesuitas.

MS. p. 163.
apud Hyac.
Serr. appen.
fol. 91.
Hist. Congr.
l. 2. c. 9.

Cum anno priori Patres Societatis Prædicatorum responsa ad tres quæstiones a Cardinali Madrutio propositas contrario responso confutassent, mox Dominicani hoc anno die duodecima Februarii illorum adnotationes impugnabant, nondum tamen taceantibus Jesuitis ipsemet Madrutius Cardinalis utriusque partis responsa discutens suum desuper iudicium pronuntiabat, & quidem sexdecim Patrum Societatis propositiones referens in eis partim falsa, partim minus necessaria, aut sinistre intellecta proferri censens de doctrina autem physiciæ Prædeterminationis sequens ferebat iudicium: *Ea, si juste consideretur, divina, summa,*

Et infallibili providentiæ, ac incomprehen- **Sæcul.XVI.**
 sibili ejus sapientiæ, potentiæ, Et volunta- **A C. 1600.**
 ti maxime congruit, unde nec nova dici
 potest, nec ullo pacto cum falsis hæretico-
 rum dogmatibus convenit, aut illis deser-
 vit &c. Porro scriptum hoc testimo-
 nium idem Cardinalis morti proximus
 summo Pontifici Clementi VIII. consi-
 gnari voluit: illud quoque una cum a-
 liis ejusdem Cardinalis commentariis
 in hac controversia conscriptis Romæ
 in Angelica Fratrum Augustinianorum
 Bibliotheca exstat, cui fasciculo se-
 quens Gregorii Coronelli, qui Congre-
 gationibus a secretis erat, epigraphæ
 inscripta legitur: *Hæc omnia scripta
 spectant ad causam controversiæ inter Pa-
 tres Dominicanos, Et Patres Societatis,
 ex quibus facile potest constare, quodnam
 fuerit hac in re judicium illustrissimi Car-
 dinalis Madrutii.* Hoc quidem testimo- **Lib.3.cap.15**
 nium Livinus de Meyer in sua contro-
 versiarum historia in dubium vocat, i-
 psius tamen argumenta jam satis, su-
 perque confutata fuere ab Authore hi-
 storix Congregationum lib. 5. Sect. 4.
 c.2. Verum utut res se habuerit, id o-
 mnino certum est, quod Philippus III.
 Hispaniæ Rex per Sueffæ Ducem Ora-
 torem suum die decima sexta Aprilis
 præfati examinis sententiam Pontificio
 Diplomate quantocius confirmari effla-
 gita-

Sæcul. XVI
A. C. 1600.

gitarit, cujus tamen rei executionem præpediebat intempestiva Cardinalis Madrutii mors.

§. XX.

Madrutii Cardinalis obitus.

Ciac. tom. 3.
in Vit. Pii
IV. p. 932.
Pallav. 65
Sarp. in Hist.
Conc. Trid.

Die vigesima Aprilis hoc anno nonne maximo omnium luctu obiit Ludovicus Madrutius natione Germanus patria Tridentinus, nobilissimo generis ortus, qui juvenis adhuc gravissimis negotiis, rebusque prospere expediendis maturus, propriæ potius virtutis suffragio, quam Majorum suorum meritis a Pio IV. Diaconus Cardinalis titulo sancti Callisti, absens licet, eligebatur, sub quo etiam Pontifice Episcopus Tridentinus Concilio Tridentino interfuit, ubi libere sententiam suam de usu calicis, & matrimoniis clandestinis edicebat, ac varia negotia cum Lotharingio componens, demum a Cæsare Oenipontum accersebatur, Tridento die decima septima Februarii profectus, eo autem reversus, atque a Gregorio XIII. in Germaniam ad Comitia Augustana tanquam Sedis Apostolicæ Legatus a latere decretus in maximis fidei Christianæ negotiis utilissimam præstabat operam: postea ab eodem Pontifice rursus sacre Sedis Commissarius, ac hæreticæ pravitatis Inquisitor in Germaniam ablegatus

tus in meritorum proemium a Sixto V. Sæcul. XVI.
anno salutis nostræ millesimo quingen- A. C. 1600.
tesimo octogesimo quinto Presbyter Car-
dinalis renunciatus est, & paulo post
Prioratum sancti Iulii, & demum bien-
nio elapso Monasterium sancti Petri de
Luxovio Ordinis sancti Benedicti obti-
nuit, anno autem Christi millesimo quin-
gentesimo sexagesimo nono die decima
octava Augusti Pontificis diploma rece-
pit, quo ceteris Synodi Tridentinæ Le-
gatis injunctum, ut Madrutium plurimi
haberent, eique cuncta Concilii negotia
integre concredere: porro absoluta hac
Synodo Episcopus Sabinensis a Cle-
mente Octavo nominatus Congregatio-
ni, quæ circa controversiam de gratiæ
auxiliis inter Fratres Prædicatores, &
Jesuitas motam Romæ instituta erat, ob
plenam affinis doctrinæ in Concilio Tri-
dentino agitatæ cognitionem primus
Præses nominabatur. Ceterum doctri-
na, & probitate insignis, ac præprimis
in pauperes, quorum quosdam statis die-
bus commensales habuit, summopere
beneficus, tandem Romæ mortalitatem
exiit, in Ecclesia ad sanctum Onu-
phrium in familiæ suæ sacello sepul-
tus.

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

§. XXI.

Theologorum censura adversus Molinæ librum summo Pontifici tradita.

Hist. Congr. Privatis colloquiis per hujus meriti-
l. 2. c. 9. mi Cardinalis obitum interruptis
Hist. Contro. Fratres Prædicatores potenti Prote-
l. 3. c. 16. re destituti in solius causæ æquitate, et
summi Pontificis justitia opem quaerere
cogebantur, quocirca Doctorum cen-
suras ante biennium latis, necnon ce-
terorum nomine a Gregorio Coronello in
epitomen redactas sub hoc titulo: *Cen-
suræ libri Molinæ de concordia: summo
Pontifici offerebant, qui hanc ipsam cen-
suram in normam adhuc magis succin-
ctam contrahi, recognosci, ab omnibus
subscribi, necnon per juratum sacrae In-
quisitionis Tabellarium descriptam eo
fine sibi tradi voluit, ut ipse rem ma-
turius examinare, tandemque hanc
causam auctoritate Apostolica defini-
re posset: quamprimum vero hæc Pon-
tificis voluntas innotuit, mox ex Roma-
na urbe in Hispaniam, atque universum
pene orbem rumor pervolabat, contro-
versiam de gratia jamjam ultimo sacrae
Sedis judicio adversus Molinam esse
decisam, donec tandem Bellarminus
Cardinalis die nona Maji anno sequenti
datus*

Sæcul.XVI.
A. C. 1600.

datis ad Padillam Jesuitam literis fidem
 faceret, quod finita primum censuræ re-
 visione summus Pontifex Judicem actu-
 rus sit. Hac notitia Vallisoleti habita Do-
 minicus Ginnasius Papæ Nuntius u-
 triusque partis doctrinam, librosque
 censuris notare die vigesima prima Se-
 ptembris inhibuit, nihilominus Romæ
 de damnando Molinæ libro adeo com-
 munis erat vox, ut Claudius Aquaviva
 Generalis Papam adiens ab anathema-
 tis metu liberari rogaret, cui tamen Pon-
 tifex hæc respondit: *nondum lata est sen-
 tentia, neque feretur, nisi prius communi-
 catis, quæ Molinæ objiciuntur.* Insuper
 Patres Societatis die vigesima secunda
 Aprilis porrecto libello supplici Molinæ
 doctrinam commendantes summo Pon-
 tifici exponebant, hanc litem omnium
 Universitatum, imo & ipsius Concilii Ge-
 neralis judicio relinquendam, interea
 vero utramque sententiam saltem velut
 probabilem esse permittendam; secus
 enim timendum, ne novo discrimini Ec-
 clesia committeretur: ast Papa quanto-
 cius hanc causam Apostolica auctori-
 tate definire statuit, pro qua pia volun-
 tate Fratrum Frædicatorum Genera-
 lis die vigesima quarta Aprilis grates
 repensurus Pontificem adiit, ubi inter
 alia Clemens oblatam a Jesuitis suppli-
 cationem sibi permolestam esse signifi-

O o 5 cans,

Sæcul. XVI.
A.C. 1600. cans, hæc addebat: Scio, quod Jesuitæ huic negotio moras injicere, & mihi in morem de magnis turbis inde orituris incutere velint, si censuram adversus Molinam in publicum edam, quin prius omnium illorum apologicæ audiantur, cum tamen jam ante biennium eorum Actores quædam die audiverimus. His dictis Pontifex prædictum libellum supplicem a quodam Dominicanorum Theologo confutari jussit, quod etiam Pater Didacus Alvarez præstitit, qui prolixiorum suam confutationem in epitomen contraxit, atque eandem per Ordinis sui Procuratorem Generalem Clementi VIII. die undecima Maji exhibuit: pridie autem Patres Societatis aliud scriptum Pontifici tradebant, in quo quatuor propositionibus suam, ac Molinæ doctrinam explicabant: mox vero Prædicatores Pontificis jussu hoc scriptum rehebant: nondum tamen propterea Jesuitæ animo cadebant, sed Romanos Censores per quosdam Salmanticensis Academix Doctores sibi conciliare nitentur, quos inter etiam Joannem Baptistam Plumbinum Augustinianum, qui antea Molinæ doctrinam Pelagianismi damnaverat, eo induxerant, ut eandem sententiam veluti probabilem sæpius propugnaret, quamvis hic idem postea

re maturius confiderata Molinæ damna- Sæcul.XVI.
A. C. 1600.
tioni subscripserit.

§. XXII.

*Coronelli censura jussu Pontificis
recognita.*

Cum ergo Clemens VIII. censuram a *Hist. controv.
P. de Meyer
l. 3. c. 17.
Serry hist.
Congreg. I. C.*
Coronello adornatam maturiori ad-
huc examine recognosci præciperet, se-
lecti priores Censores jam per quatuor
menses huic labori strenue incumben-
bant, quibus etiam Hyppolitus Massa-
rius patria Lucensis Montis Pelusii E-
piscopus, necnon Benedictus Justinia-
nus Jesuita adjungebantur. Præprimis
Claudius Aquaviva Societatis supremus
Moderator Didacum Alerconium, &
Christophorum de los Cobos Jesuitas
stimulabat, ut Madrutii Cardinalis obi-
tum in rem suam vertentes, nunc omni,
quo possent, modo Molinam defende-
rent: hi ergo, ut sui Præpositi jussis pa-
rerent, commendatitias Alberti Austriæ
Archiducis, & Hispani Inquisitoris lite-
ras unacum duarum Universitatum, &
quorundam Hispaniæ Doctorum judi-
ciis Molinæ propitiis summo Pontifici
offerunt, simulque censuræ a Coronello
confectæ exemplar sibi dari efflagitant:
quo obtento mox Jesuitæ, ut testatur
Franciscus Pegna Rotæ Romanæ De-
canus, omni, quo poterant, studio ad-
nite-

Sæcul. XVI.**A.C. 1600.**

nitebantur, ut omnium Ordinum Professores, quos in sua studia pertrahere satagebant, Molinæ Doctrinam defenderent, quam in rem Theses in Molinæ gratiam a diversis propugnatas Romæ disseminabant, ut autem latum a Censoribus iudicium enervarent, Cobos, & Alerconius illos tanquam Molinæ insensos, multisque nominibus suspectos apud summum Pontificem depingebant, simulque Achillem Gaillardum Jesuitam Virum minus quidem eruditum, rebus tamen gerendis sat idoneum clam submittebant. Gaillardus undecim exposuit propositiones, quas ab utraque parte admitti edicebat, easque a Sede Apostolica definiri petens insuper pacis in utramque partem stabiliendæ octo remedia indicabat. Placuit etiam summo Pontifici hujus Viri studium, remque cum Cardinali Bernerio Asculano Episcopo conferri voluit: interim Fratres Prædicatores oblato libello Clementem Papam certiozem reddebant, quod propositiones a Gaillardo expositæ vera quidem continerent, nullatenus tamen sufficientia ad salvandam efficaciam, quæ a sacris literis, sanctis Patribus, præcipue SS. Augustino, & Thoma Aquinate gratiæ tribuitur: postquam vero Gaillardo hoc Prædicatorum scriptum innotuerat, mox summo Pontifici die

die vigesima Augusti exposuit, quod in-
 ter controversas sententias ipse mediam
 excogitasset, cum ipsi videatur, tan Do-
 minicanos, quam Jesuitas veteri de gratia
 efficaci sententiæ nova, & ab aliis minime
 tradita addidisse, atque ex ea novitate con-
 tentiones enasci. Præterea Jesuitæ in-
 eunte mense Septembri ad Italiæ Aca-
 demias scriptum transmittent, in quo
 Prædefinitionem alienis adeo coloribus
 depingebant, ut Lutheri, & Calvini hæ-
 resin præferre videretur; cum autem
 hac ratione Sedis Apostolicæ mandato
 obfisterent, ac paulo ante Thomistarum
 sententiam ut probabilem permitti pe-
 tentes, sibimetipsis repugnarent, hinc Ro-
 mani Censores jubente Pontifice hoc
 scriptum postea damnarunt, ac genera-
 lis Inquisitor illius exemplaria universa
 intercipi, Romanque transferri jussit:
 mutuis igitur hisce utriusque partis ex-
 postulationibus Pontifex in varias di-
 stractus curas Asculano, & Bellarmino
 Cardinalibus præcepit, ut universam Co-
 ronelli censuram unacum selectis Cen-
 soribus examinarent.

§. XXIII.

*Secunda primi examinis re-
 cognitio*

Propter selecti Censores, qui die vi-
 gesima septima Aprilis apud Pro-
 pertium

Sæcul. XVI.
 A C. 1600.

Hist. Congr. 7
 2. c. 12
 Hist. controu.
 3. c. 4. Et 5.

Sæcul. XVI.

A. C. 1600.

pertium Resta de Capellis Episcopum
 Cariatensem in ædibus defuncti Cardi-
 nalis Madrutii jamjam convenerant, se-
 xaginta, & unam Molinæ propositiones
 antea censuris notatas ad viginti con-
 trahebant, quarum quamlibet sigillatim
 sua notabant censura, ac demum die
 trigesima Augusti in priori censura jam
 tertio discussa omnino persistendum cen-
 sebant, cui judicio, ac Molinæ damna-
 tioni omnes Censores, exceptis Bovio,
 & Plumbino, paucisque Episcopis, una-
 nimi calculo subscribere: quo facto die
 duodecima Octobris Pontificem adeun-
 tes negotii ipsis demandati rationem
 reddebant, quos Clemens perbenigne
 excipiens trium, & amplius horarum
 spatio tanquam privatus Doctor de in-
 trinseca gratiæ efficacia cum illis erudi-
 tissime disputavit, maximamque animi
 offensionem ob invectam novitatem o-
 stendens in hæc tandem verba prorup-
 sit: *Molinam in sacrae Inquisitionis car-
 cerem conjicerem, si forte Romam veni-
 ret.* His dictis Antonius Bovius Car-
 melitani Collegii Regens hunc Aucto-
 rem variis rationibus defendere satage-
 bat, cui tamen Pontifex commotiori
 animo hæc reposuit: *Pater, omnes istæ
 rationes meræ nugæ sunt, hæcque responsa,
 quæ affers, ecedem sunt ineptiæ, quas jam
 in Suarezio observavimus.* Perceptis
 hucus.

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

hucusque agitatis Hispani Regis Orator die decima tertia ejusdem mensis summo Pontifici grates Catholicæ Majestatis nomine deferebat, & causam Apostolica definitione dirimi supplicabat, cui Pontifex reposuit, rem se quanto citius coram Rotæ Romanæ Judicibus cogniturum, ut petita decilio maturari posset. Hæc Pontificis voluntas minime latebat Christophorum de los Cobos, & Petrum Arubal Jesuitas, qui Hispani Regis patrocinium imploraturi iter Madritum versus instituebant, quos tamen Pontifex a Francisco Pegna admonitus misso ad Societatis Generalem Andrea Spinofo Apostolici Cubiculi Præfecto revocari jussit. Hoc mandato Genuæ excepto Christophorus die vigesima tertia Novembris Romam reversus est: interea vero Pegna die decima septima Novembris datis ad Regem Catholicum, Cardinalem de Gueverra, & Inquisitionis Senatum literis Molinæ doctrinam supprimi rogabat, eodemque tempore ad promovendam hujus causæ decisionem Romæ Borghesium, Asculanum, & Arrigonium Cardinales strenue impellebat. In hac rerum vicissitudine Patres Societatis minime otiantes rati obsistebant, ne in conventu, qui die vigesima prima, & secunda Novembris Pontificis jussu coram selectis

arbi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

arbitris habebatur, de recipienda cen-
sura deliberaretur: præterea tres libellos
summo Pontifici intra quinque dies offe-
rebant, supplices, ut novi adversus cen-
suram Judices darentur: verum oblitre-
pentibus Dominicanis Pontifex causam
per integrum biennium toties audi-
ditis utriusque partis rationibus di-
dicatam novis rursus Judicibus subji-
cere renuit, id unice tamen Jesuitarum
querelis, ac precibus dare voluit, ut vi-
ginti Molinæ propositiones ab iisdem
omnino Doctoribus, qui jam antea se-
lecti erant, anno proxime sequenti rursus
exponderentur, ac prioribus hujus
causæ Judicibus duo alii scilicet Joannes
de Rada, & Hieronymus Palentius,
qui Francisci Brusii locum tenerent,
adjungerentur, necnon in proximam
Congregationem admitterentur duo
Fratrum Prædicatorum Theologi tan-
quam Actores, ac totidem Societatis
Patres velut Molinæ Procuratores.

§. XXIV.

*Mauritii Ducis Victoris in
Belgio.*

*Spond. hoc
ann. n. 13.
Thu. hist. l.
124. p. 899.
Et seqq.*

Novi anni hujus initia Fœderatorum
armis in Belgio sat auspicata Au-
xere; quippe Mauritius eorum Dux ad
omnes casus oppido intentus, cum Al-
berti Archiducis copias crebris secessio-
nibus

nibus imminui, nec non fluvios alta glacie concretos stare animadverteret, captata exin occasione noctu die vigesima prima Januarii Vachtentongam Geldriæ oppidum unacum arce, ac postea die vigesima prima Martii seditionis, quam præfidiarii concitabant, beneficio fretus, Crepicordium expugnabat: insuper die octava Maji post unius mensis obsidionem Santandreanam arcem ingressus est, præfidiariis centum viginti quinque aureorum millium pretio validissimum hoc propugnaculum non sine maxima infamia vendentibus. Hujus arcis jacturam Albertus summo animi dolore perceperat, propterea Bruxellis Belgii Ordines in consilium vocans, eisque imminens periculum exponens de præcavendis majoribus malis remedia exquirebat: hi equidem omnem opem pollicebantur, cum Fœderatis tamen rebellibus de concordia potius, quam de bello continuando agendum censebant.

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

Thoiras hist.
d' Angl. p.
506.

Gallut. de
bello Belg.
l. 12.

§. XXV.

Irrita Alberti Archiducis cum Fœderatis, atque Anglis concordie tractatio.

Opportuno tempore Rudolphi Cæsaris Legati, qui Bruxellas venerant, *Thoiras l. c.*
Gallut. p. 567.
Hist. Eccles. Tom. LII, P p con- Et l. 13. p. 38.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

*Cambden in
vita Elisa-
beth.*

concordiam cum Fœderatis Principibus ineundam suadebant, quorum petitioni Albertus, & Isabella eo facilius benignas præbebant aures, quo impensus pariter Catholici Belgarum Ordines eandem pacem ab ipsis efflagitabant, ut quæres ad prosperum deduceretur exitum, ipsimet Cæsaris Oratores in Hollandiam ad Fœderatos profecti juxta Cæsaris mandata urbes, arcesque, quæ ad Germaniæ Principes spectabant, hucusque occupatas reddere spondebant. Ad hæc Ordinum Fœderatorum Delegati piam Cæsaris, sacrique Imperii voluntatem pluribus commendantes sat contumeliose in Hispanos debacchabantur, palam professi, quod cum Archiduce nullas pacis condiciones inire vellent, eo quod ipsum penitus ab Hispanorum imperio dependere scirent. Nihilominus Cæsaris auctoritas, validæque Legatorum rationes tantum apud Fœderatos obtinere, ut hi pollicerentur, se Bergæ ad Zomam cum Archiducis Oratoribus conventuros, ut de honesta utrinque concordia agi posset: porro eo quidem convenere Legati, Protestantibus autem pertinaciter petentibus, ut Belgium ab Hispano milite evacuaretur, re infecta utrinque discessum est. Eodem ferme tempore Hispaniæ Rex, necnon Albertus Archidux pacem cum
Eli-

Elisabetha Angliæ Regina stabilire satagebant, hocque negotium ipsemet Henricus IV. Franciæ Rex adeo potenter urgebat, ut Regina ad mensem Majum Boloniam maritimam Picardiæ urbem suos ablegaret Oratores, de futura pace acturos: convenientibus autem his unicum Philippi Hispani Regis, atque Alberti Legatis ingens de loci prærogativa oriebatur contentio inter Hispanos, Anglosque Oratores; hi enim in mandatis habebant, ut honoratiorem locum sibi vendicarent, aut saltem alternam præcedendi vicissitudinem cum Hispanis servarent: cum autem Hispani ab avito jure suo nihil remittere velent, Angli, ne hic congressus in irritum caderet, se rem per scripta, & mutua colloquia cum Archiducis Oratoribus acturos spondebant: ast ne hac quidem ratione lis componi poterat, eo quod Angli instigante Elisabetha duntaxat ad eludendam pacis negotiationem honoratiore loci obtentu uterentur, re tamen ipsa timerent, ne Hispaniæ Regi urbes, quas Regina pignoris nomine Ordinibus eripuerat, reddere compellerentur: eapropter post frivolam trium mensium altercationem nullo adhuc habito congressu omnis concordiae spes evanuit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

§. XXVI.

Anceps inter Neoportum, & Ostendam pugnae fortuna.

*Spond. hoc
ann. n. 13.
Gallut. l. 12.
& 13.
Theiras l. c.*

Inter hæc Mauritius Fœderatorum Dux gloriosam spe concipiens expeditionem bis mille octingentarum navium classem valido milite instructam adornabat, in Flandriam irrupturus: quapropter die vigesima prima Junii ad Salsum Gandavense oppidum exscensione facta Ernestum Nassovium præmisit, qui Philippinam munitionem deditioe capiens, castra prope Brugas metatus est, incassum ad defectionem sollicitatis Gandavensibus, Brugensibus, atque Echeloanis: interea Albertus cum copioso exercitu Gandavum versus magnis itineribus properabat, quocirca Mauritius Ostendam cum exercitu suo profectus die vigesima septima Junii quatuor munimenta, nullo ferme bellico apparatu instructa, cepit, ut eo facilius admota etiam classe Neoportum aggredi valeret, minus tamen prospero expeditionis auspicio id factum: quippe viginti naves onerariæ a Friderico Spinola Hispanæ classis Præfecto invasæ partim captæ, partim igne absorptæ sunt, aliæque centum quinquaginta Fœderatorum naves, dum vento destitutæ hærebant, ægre Frider-

Friderici impetum evasere: insuper **Sæcul. XVI.**
 Alberti copiæ die prima Julii Auden- **A.C. 600.**
 burgum, & Snaschercham recupera-
 runt, atque in Ernestum Nassovium,
 quem Mauritius Lassingam præmiserat,
 die septima Julii irrumpentes eundem
 profligarunt, quo in prælio ex Prote-
 stantibus mille cæsi, captique quamplu-
 rimi sunt. Mauritius infausto hujus fortis
 nuntio territus convocato belli Senatu
 rem ad prælii necessitatem deventum
 esse exposuit, loci opportunitate ad pu-
 gnandum invitante. Nec segnior Al-
 bertus Archidux a Claudio Barlotta in-
 citatus prompto certamine hosti nupe-
 ra clade territo animum colligendi spa-
 tium præripere statuit, ejusque jussu
 Mendoza primus in Nassovium irruit:
 verum hostis studiose retrocedentis a-
 ctum minime animadvertens in eum lo-
 cum incautius abripitur, ubi tota belli
 tormentorum tempestas in Alberti E-
 quites impune tanto impetu detonare
 poterat, ut pedem referre cogerentur,
 mox tamen peditum agmen non sine
 magna clade foederatos e vicino colle
 repellebat, diuque alternante fortuna
 utrinque dimicatum est, Alberti copiis
 nunc victoribus, nunc devictis, donec
 tandem post atrox quatuor horarum
 certamen sole jam ad occasum vergen-
 te Galli Equites loricati in insidiis huc-
 P p 3 usque

Sæcul. XVI.
A.C. 1600. usque latentes, proin viribus integri in Hispanos dimicando fessos irruerent, illosque in fugam agerent: cum ergo Albertus, qui toto conflictus tempore non minus militis gregarii, quam Ducis partes obibat, atque ex hastatæ securis ictu prope auriculam saucius erat, fugitivos sistere nequiret, Mauritio aciem cedere cogebatur, capto ipso etiam Mendoza præter plures alios Tribunos, & quingentos milites: cæforum autem numerus oppido incertus est, Scriptoribus quibusdam duo, tria, aut quinque omnino Catholicorum millia, Fœderatorum vero duo, quatuor, vel sex millia recensentibus. Ceterum ipsa hæc victoria Mauritio parum proficua exstitit; quippe die vigesima quarta Julii Neoperti, & Divæ Catharinæ propugnaculi obsidionem erumpentium fortitudini resistendo impar solvere coactus est, ipsiusque classis a Friderico Spinola sæpius infestata, ad majoris momenti expeditionem pene inutilis reddebatur.

§. XXVII.

Fœda, ac detestanda Gallorum proditio.

Spond. n. 17.
Thu l. 124.
p. 910. **D**amnum, quod Christiani in Hungaria perpeffi sunt, eo magis acerbum videbatur, quo minus ab ipsis Catholicis inferri timebatur. Tenebant Papam,

pam, quod præcipuum erat contra Turcas munimentum, Præfidiarii natione Galli, erantque numero mille ducenti, qui ad seditionem proclives, eoquod stipendia debito tempore non solverentur, tumultuari cœperunt, & quamvis ab Adolpho Schwarzenburgo proximæ solutionis spe placarentur, nihilominus cum Turcis Albam-Regalem tenentibus clandestina cudebant consilia, polliciti, quod eis non modo urbem, sed ipsum etiam Schwarzenburgum proxime cum ære militari adventantem tradere vellent: ne vero Turcæ de sincera perfidi promissi fide dubitare valerent, seditione aperta Tribunos, suosque Centuriones exauctorebant, ipsumque Michaellem Marottum Urbis Præfectum in vincula conjicientes, ni subito libertatem auro redimeret, Turcis tradituros minabantur, auctaque indies nequitia Turcas, qui a Christianis antea capti detinebantur, Præfecti, aliorumque Centurionum vestibus indutos Albam-Regalem remittebant, nec his contenti Motam quoque, & Pinum præfractæ nequitix Gallos sibi præficiunt, direptaque urbe Cæsareum vexillum Turcis tradunt, civesque unacum uxoribus, & liberis in miseram servitutem redigunt: porro factæ perfidix immanitas haud diu latere

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

Struv Corp.
Hist. Germ.
tom. 2. period. 10.
Sect. 7.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

poterat, quapropter Schwarzenburgus qui cum duobus millibus, parataque stipendiorum pecunia accurrebat, perfidiosos hosce per viginti Equites ad officium redigere conabatur, incassum tamen; quippe rebelles hi non nisi convitiis, acque injuriis hosce Delegatos affecerunt, parumque abfuit, quin eos inhumana crudelitate trucidarent; verum detestandam adeo prodicionem jamjam ipse Deus ulcisci cœperat: inter ipsos enim præsidiarios circa pacti pretii conditiones tam acerba oriebatur altercatio, ut multæ cædes per urbem patrarentur, hinc una rebellium pars Schwarzenburgus, qui cum tribus peditum millibus exurgente mense Junio accurrerat, assultum tentandi opportunitatem ultro indulgebatur, altera tamen pars repulsis Cæsaribus Turcas intromittebat, Christianosque plaustris impositos Vesprinum, & Albam Regalem captivos abducebat; nihilominus Marottus, qui adhuc vinctus in urbe hærebat, clam nocturna occasione Schwarzenburgum monebat, ut diffidius in urbe ferventibus vel astu, vel aperta vi nefandam Gallorum seditionem plesteret. Ergo die decima Julii Pappam arcta obsidione cingit, sæpiusque erumpentes seditiosos repellens, famis inedia, omniumque rerum inopia ad summam redigit miseriam; hi tamen ex despera-

Londorp.
to. 3 l. 6.
p. 249.
Khevenhill.
to. 5. annal.
p. 2400.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

speratione consilium quærentes die trigesima prima ejusdem mensis noctu toto impetu erumpunt, accurrentemque Schwarzenburgum virum bellicis expeditionibus clarissimum glande trajiciunt, ac die prima Augusti denuo eruptione tentata ex Cæsareis trecentos occidunt, pluresque secum captos in oppidum abstrahunt. Hanc injuriam ulturus Melchior Rederus, qui trucidato Schwarzenburgo suffectus erat, rebelles famis, armorumque violentia compescere statuit, prius tamen illos ad ultroneam deditionem hortatus, vel ex ipsa inedia infamis cædis periculum ipsis imminere exposuit: ast illi arrogantius responderunt, quod deficiente annona Christianos captivos, ac præprimis Marotum Præfectum devoraturi essent; interea extremam cladem clandestina fuga eludere intenti, die nona Augusti noctis beneficio ad proximam sylvam pervenerunt, quorum tamen ultimum agmen Nadastius unacum Colonitzio, & Thurino Comitibus Rederi jussu infectus opportuno tempore interceptit, eorumque potissimos trucidavit, ac Mottam quoque, eo quod sese Colonitzio dedere recusaret, unacum aliis centum glande trajici jussit: postea Rederus desertam urbem ingressus, secumque rebelles, quorum ex octingentis vix du-

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

centi sylvarum beneficio evaserunt, Pappam reduxit, atque de iis ob violata di-
vina, humanaque jura promeritas de-
poscere pœnas statuit: ast in morbum
incidens e vivis excessit, cui Nadastius
Comes subrogatus seditiosos variis, ex-
quisitisque pœnis e medio tolli præce-
pit, urbemque novo præsidio firmavit.

§. XXVIII.

Canisa a Turcis expugnata.

Isthuan. lib.

22. p. 764.

Spond. n. 18.

Thuan. l. c.

Piasec. p. 191

Sub idem tempus Ibrahimus supremus
Mahometis Turcarum Imperatoris
Vezirius, cum pax jam dudum agitata
coalescere non posset, duodecim Janifa-
rorum millibus stipatus exeunte mense
Augusto Belgrado, seu Alba-Græca ex-
cessit, promotisque castris die quarta
Septembris in itinere Babotsam muni-
tam Hungariæ inferioris arcem, que
Canisam inter, & Zygethum sita est,
non tam propria virtute, quam præsi-
diariorum ignavia cepit, inde vero die
nona ejusdem mensis ad Canisam Sa-
ladicensis Comitatus urbem castra me-
tatus validissimum hoc propugnaculum
obsidione cinxit: verum Georgius Pa-
radisius urbis Gubernator sæpius erum-
pens Turcas non sine magna clade re-
pulis, imminuto tamen præsidario mi-
lite, ac pulvere pyrio rem in summo dif-
fcrimine positam experiebatur, cum Phi-
lippus

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

lippus Emanuel Mercurianus Lotharingæ Dux, qui dudum Henrico IV. Franciæ Regi obstiterat, opportune suppetias ferens die prima Octobris prope Maurum fluvium cum viginti quinque milibus confedit, datoque adventus sui signo obsessis novos addidit animos: quo comperto Ibraimus datis literis pacem æquis conditionibus fanciendam offerebat: cum autem soluta Canisæ obsidione nonnisi induciæ a Cæsareis proponerentur, Ibraimus neglecta hac conditione Mercuriano rescripsit, quod tam exiguus suorum numerus solvendæ obsidioni impar esset, proin melius suæ famæ confuleret, si tempestive recederet: arroganti tamen hoc responso minime territus Dux reposuit, quod Christiani Turcas debellandi difficultatem non ex suorum numero, sed animi fortitudine dimetiri assueti sint, proin omissis ejusmodi minis in apertam aciem quamprimum progredere: verum Turcæ crebris Colonitzi velitationibus fatigati minime tentata prælii alea vallis, fossisque cincti intra sua castra sese continebant, ac nonnisi pugnantes excursionibus, in quibus tamen crebra clade affecti sunt, quatuordecim etiam belli tormenta amiserunt, quapropter Mercurianis annonæ advehendæ opportunitatem intercludere, demumque expanso
toto

Sæcul. XVI.
A.C. 1600. toto exercitu eos circumfusus a tergo copiis cingere decernebant. Hoc periculum Mercurianus sibi jamjam impendere præsentens habito belli Senatu die decima tertia Octobris faventibus noctis tenebris, ac violento turbine pedem retulit, ejus tamen discessu oblesorum animi haud parum fracti die vigesima secunda Octobris deditionem facere, arceque tradita ad Merram usque, prout cum Turcis convenerant, incolomes transmissi sunt, quo facto Ibraimus tria peditum millia, quingentosque Equites præsidio imponens, rusticos, ceterosque vicinos, qui aufugerant, promissa libertate, & triennali tributorum immunitate ad reditum sollicitabat: Paradisus vero unacum aliis quibusdam Centurionibus ad Mathiam Archiducem abducti, cum in urbis defensione officio suo defuisse convincerentur, dextera prius, ac dein capite truncati perire.

§. XXIX.

*Proximum vitæ periculum Scotiæ
Regi a Proditoribus im-
minens.*

*Chytra. in
Saxon.
Thu. l. 124.
p. 908.*

Sub idem tempus Jacobus I. Scotiæ Rex ingens vitæ periculum divina ope eluctatus fuerat, quippe die quinta Augu-

Augusti venationi intentus Alexander Ruthwenum Guilielmi Comitis anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto ob conspirationem accipite truncati filium obviam habuit, a quo sub facto inmensum thesaurum accipiendi obtentu Parthum venire, atque in ipsius domo solus absque comitatu diversari rogabatur: dudum equidem Rex tergiversatus tandem cum Alexandro immote latus ejus stipante laxatis equorum habenis ad oppidum contendit: ipsa tamen festinatio suspicionem movebat Regis famulis, hinc inter eos precipue Levinnius, & Merrius Comes, licet non iussi, Jacobum sequebantur: Rex vero oppido proximus a Joanne altero Alexandri fratre jam prius admonito excipiebatur, & prandio, ad quod tamen Levinnius, & Merrius non invitabantur, recreatus ab Alexandro clam monebatur, secreti, quod revelasset, tempus quidem urgere, fratris tamen sui praesentiam obstare, proin Rex illum abesse juberet, quo facto Jacobus ab Alexandro e caenaculo per plura cubicula clausis semper retro foribus ad secretius cubile deducebatur, ubi ementiti thesauri custodem pugione armatum cernens se in insidias incautius incidisse animadverterat; quippe Alexander mox pileum suum capiti imponens enses proti-

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

Spond. l. c.
n. 19.

Harlaeus
tom. 3. annal.
Belg.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

protinus e vagina extractum Regis per
ctori admovit, eique Guilielmi Patris
sui innocentis necem exprobrans se in-
justæ mortis vindictam ab eo depolce-
re profitebatur. Rex in hisce angustiis
constitutus, cum inermis esset, ferocien-
tis animum blandis verbis, ac commemo-
ratis beneficiis Ruthwennæ familie
exhibitis mitigare studiosus, trucidati
Patris culpam in Ministros suos rejicie-
bat: qua oratione placatus Alexander
se Regi vitæ gratiam facturum pollice-
tur, dummodo nullo clamore edito se
contineret, fratrisque sui Joannis eo sine
accersti adventum expectare vellet.
Alexander cum fratre suo clam colloca-
tus ab eodem acerbius increpabatur,
quod non sine maximo propriæ salu-
tis periculo tamdiu regis parricidium
exequi cunctaretur, qua objurgatio-
ne stimulatus Alexander Regis ma-
nus detracta Periscelide vincire nite-
batur, mox vero Jacobus, dum proxi-
mum periculum novum robur adderet,
sicarii gladium dextera tenens, sinistra
vero ipsius collum apprehendens se pro-
ditum esse aperta forte fenestra vocife-
rabatur, eumque extra cubile pertractum
tam diu tenebat, donec Joannes Rami-
sæus Eques, Thomas Areskinus, & Hu-
go Heresius Regem liberarent, ambos-
que fratres unacum ipsorum famulis truci-
cida.

cidarent. Postea parricidarum cadavera ignominiose ad supplicia raptabantur, proscriptisque eorum bonis superstitites duo fratres, ac omnes ex hoc genere descendentes familiæ suæ nomen, atque insignia mutare publico Senatus edicto jubebantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

§. XXX.

Hæretici a Ferdinando Archiduce e sua ditione pulsi.

Hoc item anno Ferdinandus Austriæ Archidux avito Religiosis ardore, quem a Majoribus suis hausit, acensus confessioni Augustanæ addictos, ceterosque hæreticos, prout jamjam ante biennium animo conceperat, expellere incipiebat, & primo quidem Græcii, quæ urbs totius Styriæ Metropolis est, die decima tertia Septembris per Universitatis Decretum spurii Evangelii Ministris denuntiari jussit, ut conciones deinceps ad populum nullibi palam haberent, nec quicquam Catholicæ Religionis adversum moliri auderent, præstitutoque tempore urbe excederent: cum autem hi Academiæ mandatum flocci habentes nihilominus cætus suos publice cogere pergerent, Archidux interposita auctoritate sua die vigesima secunda Septembris eisdem præcepit, ut intra octiduum una omnes e Styriæ
fini-

Corp. Hist.
Germ. period. 10. sect. 7
Spond. n. 20.
Thu. l. 124.

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

finibus excederent: verum Principum, quibus subsunt, mandatis resistere allueti, morem gerere neglexerunt: unde Ferdinandus denuo die vigesima octava Septembris indicta etiam capitis poena cunctos e ditione sua exire iussit. ipse vero Romam contendit, ubi a summo etiam Pontifice in concepto hæreticos expellendi proposito firmabatur: interea Pastorculi ex urbe eiectione clam sua celebrabant conventicula, nec non quosdam suæ sectæ Nobiles instigabant, ut hi oblato libello supplici Archiducem rogarent, quatenus præteritam conscientiae libertatem conservare vellet: quinimo ad tantam prorupere proterviam, ut minitari auderent, quod tunc, si Augustanæ Confessionis focii, eorumque Ministri repulsam latari essent, patientia in furorem verteretur, ac populi desperatione adacti æque sibi, atque aliis nociva consilia inire, ac Turcas in auxilium contra suum Principem, & Catholicos vocare vellent: nihilominus insuperhabitis horum rebellium comminationibus in Ordinum Comitibus in Styria habitis nuperum Archiducis edictum confirmabatur, quo comperto Ferrifodinarum incolæ seditionem tam periculosam concitarunt, ut eorum petulantiam armorum vi compescere necesse esset, nec minus horum exem-

exemplum Protestantes pari repugnandi aviditate in variis urbibus sequebantur, quocirca eorum bona in temeritatis suæ poenam proscrip̄ta fuere.

Sæcul. XVI.
A.C.1599.

§. XXXI.

Variae Clementis VIII. Papæ Constitutiones.

Præter diversa minoris momenti Decreta hoc anno Clemens VIII. summus Pontifex plures edidit Constitutiones, inter quas prima die vigesima prima Februarii edita Monasterium eo fine erigi curabat, ut duntaxat pauperes puellæ, quæ in Romana urbe omnium auxilio destitutæ vagabantur, si forte earum quædam solemnibus Religionis votis sese Deo obstringere vellent, in huiusmodi Conventum, cui Patronum præfecerat sanctum Urbanum, recipi possent. Altera concernit quædam decreta pro bono regimine Fratrum Ordinis Beatæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum: edidit quoque idem Pontifex die decima quarta Julii aliam Constitutionem, in qua Cæremoniale, ut vocant, Episcoporum ejus jussu emendatum, typisque editum approbat: die autem decima tertia Novembris eodem anno quoddam promulgabat diploma, vi ejus Italicam Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congre-

Bull. mag.
tom. 3.

Hist. Eccles. Tom. LII.

Q q ga

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

gationem ab Hispana penitus segregatam adjectis omnibus ejusdem Congregationis privilegiis instituit, ac Conventum ejusdem Ordinis apud Ecclesiam Beatæ Virginis de Scala nuncupatum erexit: insuper Romæ Collegium pro Scoticæ Nationis juventute literis imbuenda instituit, amplisque redditibus dotavit, hancque in rem die quinta Decembris singularem edidit Constitutionem: præterea ejusdem mensis die nono Diplomate præcepit, ut, quamvis Gregorius XIII. solum Patribus Societatis ad Japoniæ Provinciam Evangelii prædicandi causa transmigrandi facultatem concessisset, nihilominus aucta mese dominica etiam alii Ordinum Mendicantium Religiosi, non tamen ex Insulari Philippinis, sed duntaxat per Lusitaniam in Indias proficisci, atque ibidem Evangelium annuntiare valeant: extat quoque alia ejusdem Pontificis Constitutio die vigesimo nono Decembris promulgata, qua regulam Congregationis Regularium, qui infirmis assistunt, commendabat. Denique alio Diplomate mandavit, ut Judices, & Ministri in causis ad sanctam Inquisitionem spectantibus omnia gratis expediant, necnon mandata Universalis Inquisitionis Romanæ integra fide exequantur.

§. XXXI.

§. XXXII.

*Laurentius Priulus Cardinalis
mortuus.*

Sæcul. XVI
A.C. 1600.

Plures e Purpuratorum Collegio hoc anno vivis erepti numerantur, & quidem præter Madrutium, & Andream Aufriacum, de quibus jam supra mentio recurrebat, die secunda Januarii Venetiis obiit Laurentius Priulus ex nobilissima Venetorum familia ortus, qui sub Joannis Patris sui cura omnibus Nobilium exercitationibus, necnon divinis, humanisque literis apprime ex cultus sacræ militiæ nomen dederat, ac paulo post apud Franciscum Magnum Etruriæ Ducem, Philippum II. Hispaniæ, & Henricum III. Franciæ Reges, ac denique apud Gregorium XIII. & Sixtum V. summos Pontifices cum eximia prudentiæ, ac integritatis laude Oratorem agebat: anno autem Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo Venetiarum Patriarcha electus utriusque sexus Regulares, Clericosque ad ecclesiasticæ disciplinæ normam tam proprio exemplo, quam salutaribus decretis, monitisque revocare satagebat, hancque in rem binas celebrabat Synodos, necnon Clericorum Seminario quasdam ædes attribuens eosdem ad excolenda literis ingenia animabat: de-

*Ciac. in vita
Clem. VIII.
tom. 4. p. 283.
Thuan. l. 6.
p. 899.
And. V. l. 1.
in addit. ad
Ciac. Purp.
Doct. suppl.
p. 465.*

Q q 2 mum

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

mum meritorum fama Romam delata licet absens, a Clemente VIII. Papa Presbyteris Cardinalibus anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo sexto die quinta Junii adscribatur, adjecto titulo S. Mariæ Transpontinæ, quæ tamen dignitate auctus adeo nihil de consueta sua vivendi ratione, ac Religionis zelo remittebat, ut potius pietatem in semetipso, disciplinæ studium in Clericis sibi subiectis, ac liberalitatem in pauperes, & Ecclesias novo fervore adaugeret, tandem vero cum gregem sibi commissum novem omnino annis vigili cura rexisset, sexto Patriarchatus sui anno fatis cedens condito liberali testamento ibidem honorifice sepultus est.

§. XXXIII.

*Georgii Radzivilii Cardinalis
obitus.*

*Ciac. l. c. p. 99
Aubery. in
vita Card.*

Hunc pari fato sequebatur Georgius Radzivilius patria Lithuanus Nicolai Radzivilii Olivæ Ducis, & Niellovisii Palatini Vilnensis Filius, qui anno ætatis suæ duodecimo nondum completo non sine singulari divini Numinis providentia utroque parente orbatus fuerat; quippe eo liberius piorum hominum sollicitudine optimis moribus, literisque excultus agnito Parentum

suorum errore veram fidem amplectebatur, eamque immoto studio propugnabat: unde a Valeriano Vilnensi Episcopo jamjam ætate confecto Coadjutor postulatus, atque annuente Episcopi precibus Gregorio XIII. Romam accersitus fuit, ubi non modo literis, sed maxime Catholicæ fidei præceptis adhuc firmiter excolebatur, nam ea Pontificis cura tantopere Radzivilius profecerat, ut fratrem suum natu minorem pariter ad veræ Religionis cognitionem revocaret, necnon mortuo Valeriano ad regendam Vilnensem Ecclesiam electus plures hæreticos ad ejurandam sectam impelleret: insuper ab omnibus ob singulare Religionis studium, morumque comitatem plurimi habitus, ringentibus etiam hæreticis, publicam Vilnensem Bibliothecam a perversis Sectariorum libris expurgavit, ac quemcunque librum sine ipsius approbatione typis edi, vel vendi severe prohibuit: præterea Stanislaum Fratrem suum, cui Olivæ Ducatus obvenerat, eo induxit, ut nulli a vera fide alieno in sua ditione commorandi facultatem concederet: Judæorum quoque Synagogas everti jubens, Ruthenis Schismaticis significari præcepit, vel suis bonis cederent, vel deposito schismate Catholicæ Ecclesiæ Capiti sese jungerent. His

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

meritis clarus anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio die duodecima Decembris a Gregorio XIII. summo Pontifice Presbyter Cardinalis renuntiabatur, assumpto titulo sancti Sixti, anno autem incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo a Vilnenli ad Cracoviensem Ecclesiam translatus, atque a Clemente VIII. ad Sigismundum Poloniæ Regem, nec non ad Rudolphum sacri Romani Imperii Imperatorem Legatus fuit missus: inde vero Romam profectus Legationis suæ rationem reddidit, quo facto ad commissam sibi Ecclesiam reversus est, anno tamen sacro rursus Romam contendens repentino morbo afficiebatur, ipsoque adhuc mense Januario non sine summo omnium luctu nonnisi quadragesimum quartum ætatis suæ annum agens mortalitatem exuebat, sepultus Romæ in Ecclesia Patrum Societatis.

§. XXXIV.

Innici Avalos Cardinalis mors.

Cabrara & Petromel.
Thuan. l. 124 p. 879.
Ciacon in vita Pontif. tom. 3 p. 935.
Proximo mense Februario die vigesima mundo valedicebat Innicus, seu Ignatius Avalos de Arragonia patria Neapolitanus Alphonsi Vastii Marchionis toto orbe celeberrimi, & Mariæ Arragoniæ Filius, qui a juventute sua singulari

gulari in rebus gerendis dexteritate, prudentia, morumque integritate conspicuus primo S. Jacobi Eques, postea Regni Neapolitani Cancellarius fiebat, ac demum sacris Ordinibus initiatus a Pio IV. summo Pontifice anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo primo die vigesima sexta Februarii unacum aliis septendecim Cardinalibus Diaconis titulo S. Luciae, ac postea S. Adriani, & demum S. Laurentii in Lucina adscribebatur: anno autem Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Tauriensem Ecclesiam rexit, quam tamen expleto biennio Hieronymo Roboreo cessit, die vero vigesima prima Augusti anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Melitensis Antistes creatus septem annis hanc Ecclesiam administravit, donec anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo sexto Sabinensis, ac tertio post anno Tusculanus, atque anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo Portuensis, & sanctæ Rufinæ Episcopus renuntiaretur. Porro cum Clemens VIII. Ferrariam proficisceretur, Innicus Romæ Legatum agebat, ubi gravissima etiam negotia tanta prudentia, Reipublicæ studio, ac Religionis fervore expediebat, ut ingens sui desiderium relinqueret. Interfuit is pluribus

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

Q q 4 sum-

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

summorum Pontificum comitiis, in quibus ceteri Cardinales præcipue juniores juxta celeberrimi hujus Purpurati monita, & consilia sese componere certabant: tandem vero vitæ suæ meritis plenæ cursum Romæ feliciter emer-
sus est.

§. XXXV.

Petri Decii Cardinalis fata.

*Ciacon. to. 4.
p. 59.
Thuan. l. c.
Ughel. Ital.
sacra de
Episc. Alb.
Aubery, in
vita Card.*

Mensem Augustum sibi exitialem habuit Petrus de Deza, seu Decius natione Hispanus, Antonii, & Beatricis Gusmanæ Filius, necnon Lusitanæ Regibus sanguine junctus. Hic anno a partu Virginis millesimo quingentesimo vigesimo die vigesima quarta Februarii Tauri veteris Castellæ oppido natus, secundo vitæ suæ anno nondum expleto ibidem utroque parente orbatus relinquebatur: verum plus quam paterna Ulloæ Perniræ cura liberaliter educatus, tantum in literis profectum fecerat, ut Salmanticam missus decimo ætatis suæ anno tam sacræ, quam profanæ Jurisprudentiæ operam navaret, ac nondum viginti septem annos natus jamjam in celeberrimo sancti Bartholomæi Collegio Professorem ageret, paulo post autem amplis undecim Diocesisbus tanquam Judex Metropolitanus ab Archiepiscopo Compostellano præfectus
summi

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

summi iudicii excellentia, ac singulari æquitatis studio hoc munus octo omnino annis gerebat: postea a Carolo V. Cæsare, ac Hispaniarum Rege, cui semper charissimus erat, Pinciani Senatus Auditor, a Paulo IV. autem Calatravæ Archidiaconus in Ecclesia Toletana renuntiabatur, variisque aliis officiis per novem ferme annos egregie functus, invitatus licet a Philippo II. Hispaniarum Rege Præses regni Grannatensis nominabatur, ubi anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo septimo quasdam sanctiones ad extirpandos Maurorum ritus, sincerumque Catholicæ fidei cultum inducendum jam dudum ab Hispaniæ Regibus conditas in usum deduxerat, summa animi excelsi magnitudine contemnens rebellium Maurorum insidias; quapropter a Rege in locum Joannis Austriaci regius Vicarius cum plena belli, pacisque auctoritate constitutus sedata rebellium conjuratione ab omnibus tanquam patriæ Pater, Religionis custos, ac libertatis Servator deprædicabatur. Tandem post tam præclara in Rempublicam christianam merita anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo ad Philippi II. Regis preces, absens licet, a Gregorio XIII. Purpura Romana decoratus fuit, ac ti-

Q q 5 tulum

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.
 tulum sanctæ Priscæ, Biretum vero Valisoleti per Joannem Baptistam Magnanum Bononiensem Nobilem die vigesima secunda Martii obtinuit, ac biennio post Romam profectus in publico Purpuratorum Senatu rubrum Gale- rum ab ipso summo Pontifice accepit. Postea totius Hispanici Regni Protec- tor, necnon Regis Catholici Orator de- claratus gravissimis Sedis Apostolicæ negotiis, necnon sacræ Inquisitionis tri- bunalis præficiēbatur: insuper promo- vendo Religionis cultui summopere in- tentus Festum Nominis Beatæ Virgi- nis in Conchensi Ecclesia quotannis so- lemniori pompa annuente Sixto V. ce- lebrari præcepit, necnon divum Dida- cum Sanctorum fastis adscribi procur- ans plura alia pietatis suæ specimina edidit. Demum ad regendam Alba- nensem Ecclesiam selectus, atque in ele- ctionibus Sixti V. Urbani VII. Gregorii XIV. Innocentii IX. & Clementis VIII. suffragio suo concurrens octuagenario major die vigesima septima Augusti Ro- mæ obiit, cujus corpus sepultum est in Ecclesia sancti Laurentii in Lucina, in- de in Hispaniam successu temporis transferendum. Perorabat in ejus tu- nere Franciscus de Cabrera, cujus ora- tio in Pontificum Romanorum historia a Ciaconio descripta habetur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

*Rodericus de Castro Cardinalis fati-
fundus.*

Incertum est, quo mense Rodericus de Castro Cardinalis naturæ debitum solverit; Scriptorum enim nonnulli illum die decima octava Septembris, alii vero vigesima prima, vel vigesima sexta Octobris decessisse referunt, id tamen omnino compertum habetur, quod hoc anno octogenarius in Hispania extremum vitæ diem clausit. Erat is ex illustrissimis Lendorum Comitibus, & Satriæ Marchionibus Alvari Oforii, & Beatricis de Castro Filius, qui a teneris virtutum studiosissimus in Salmanticensi Academia literis tam egregiam navabat operam, ut Generalis Inquisitionis Senator nominaretur, quo in munere dubium reliquit, an in eo pietas, & Religio, vel prudentia, & integritas prævaluerint: postea unacum Petro Salmanticensi Episcopo ad salutandum Philippum Regem in Belgium, atque inde in Angliam se contulit, ac demum Romam cum agnato suo Ferdinando Ruiz de Castro regio ad Papam Oratore profectus est, tam luculenta virtutum suarum, & meritorum fama ubique sparsa, ut merito Zamorensis, postea Conchen- sis Episcopus, ac demum Hispalensis Archi-

*Filiuct. in**Elog. Card.**Card. Annal.**Greg. XIII.**Ciac. tom. 4.**p. 74.**Carp. Doct.**Supple.**p. 427.*

Sæcul. XVI. Archipræful nominaretur: tandem procurante Maria Imperatrice a Gregorio XIII. anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo tertio die duodecima Decembris inter Presbyteros Cardinales titulo sanctorum duodecim Apostolorum cooptatus est, quæ tamen ægnitas Roderico stimulos addere videbatur, ut majorem adhuc in pascendo grege suo vigilantiam, vitæ sanctimoniam, liberalitatem in pauperes, & magnificentiam in domesticos exhiberet: celebrabat etiam Hispali anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo sexto Synodum, ac tertio post anno Margaritæ Philippi III. Uxori honoris gratia ab eodem Rege obviam missus illam regio sumptu, atque apparatu Barcivone Valentiam usque, ubi Rex illam præstolabatur, comitatus est, inde autem in Hispaniam reversus ibidem factus cessit, sepultus in Hispalensi Ecclesia, postea vero ejus ossa ad Montfortensem urbem in Gallætiâ translata in templo Collegii Societatis Jesu, quod suis sumptibus erectum annuis redditibus dotaverat, absque funebri pompa fuerunt condita. Hic idem Cardinalis morti proximus ducenta aureorum millia in pauperes, Viduas, & pupillos eroganda reliquit.

§. XXXVII.

Sæcul.XVI.
A.C.1600.*Legatio Persica ad Rudolphum II.
Cæsarem.*

Cum interea bellum Cæsarem inter, & *Spond. hoc*
 Turcas in Hungaria ferveret, ac sæ- *ann. n. 22.*
 pius Rudolphus Imperator ad propulsan-
 dum Christiani nominis hostem suppet-
 tias a sacri Imperii Principibus peteret,
 hoc anno Spiræ Deputatorum Comitia
 habebantur, in quibus tamen die vige-
 sima septima Octobris inter Fridericum
 Palatinum, Joachimum Electorem Bran-
 deburgicum, aliosque Principes secta
 Protestantes conventum erat, quod
 nulla ad bellum Turcicum subsidia Cæ-
 sari mittere, quinimo pro caussa Argen-
 toratensium Regis Franciæ auxilium
 implorare velint: majorem vero opi-
 tulandi promptitudinem præferebat
 Scha-Abas Merizes Persarum Rex, qui
 quamvis ipsemet Mahometanæ super-
 stitioni addictus esset, quamprimum
 tamen inaudierat, quod Turcæ Hunga-
 riæ Regnum Cæsari eripere pararent,
 hac occasione fretus armorum societa-
 tem cum Rudolpho, aliisque Christia-
 nis Principibus contra Turcarum Impe-
 ratorem sancire statuit, hancque in rem
 Antonium Sirlæum natione Anglum,
 qui in Persiam profectus hanc legatio-
 nem Regi suasisse fertur, Legatum una-
 cum

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

cum Cufinate Begi, qui Persarum Regi a consiliis erat, hoc anno mense Decem-
bri ad Cæsarem ablegabat, a quo etiam
hi Oratores summis honoribus, ac be-
nevolentia excepti, necnon promissis,
amplisque muneribus ditati ad cete-
ros S. R. Imperii Principes mittebantur,
ut & illos ad mutuam fœdus anima-
rent, qui etiam anno sequenti Romam
ad Clementem VIII, summum Pontifi-
cem contendebant, solemnè pompamense
Aprili urbem ingressi. Verum inter i-
psos hosce duos Legationis Duces, cum
natione, ac genio inter se multum dif-
creparent, in ipso Palatii pro ipsis in-
structi ingressu ob honoris, locique
prærogativam tam acris oriebatur al-
tercatio, ut publice in platea mutuis
verberibus, ac convitiis sese lacerarent,
ac deinceps Anglo sibi potiore hono-
ris locum per vim vindicante, Persa
nonnisi separatim habitare, atque ad
Pontificis alloquium admitti voluerit.
demum vero Anglus vafritia, & dolo ple-
nus, postquam tam ab ipso, quam aliis
Italiæ Principibus ingentem pecunia-
rum summam corraferat, in Persidem
recta pergere simulans aufugit, Culci-
nates vero in Hispaniam anno sequenti
profectus est, unde ex ipsa hac legatio-
ne haud alius promanabat fructus, nisi
quod tres Persæ, qui e Legatorum co-
mita-

mitatu erant, Romæ commorantes, ve-
 ræque fidei præceptis imbuti ab ipso
 summo Pontifice aqua salutari abluti
 fuerint.

Sæcul.XVI.
 A.C.1600.

§. XXXVIII.

*Porta sancta Romæ solemniter
 occlusa.*

Equidem pro veteri more Porta san-
 cta post vespertinas Nativitatis Do-
 minicæ laudes die vigesima quarta De-
 cembris, qua die aperiri solet, pariter
 ad anni sacri finem occludi consueve-
 rat, cum autem hoc anno ob adversam
 summi Pontificis valetudinem hæc so-
 lemnitas nonnisi postremo anni prioris
 die celebrata fuerit, hinc Clemens Pa-
 pa, nequid Jubilæi integritati deesset,
 ultima hujus anni die eandem portam
 claudere decrevit: verum cum hac ipsa
 die rursus gravissimis chiragræ doloribus
 correptus hanc solemnitatem perficere
 præpediretur, eandem usque ad deci-
 mam tertiam Januarii diem anni se-
 quentis distulit, præcipiens, ut conces-
 sæ indulgentiæ gratia usque ad hunc
 diem protraheretur: quo demum lapi-
 des, & elementa consueto ritu sacran-
 tribus quadratis lapidibus, in quibus
 aurea, & argentea numismata impo-
 suit, portam occlusit: postea vero in
 annum proximum quibusdam Regnis,
 ac

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

ac Provinciis Jubilæi gratiam concesserat, admodum tamen parce, & quidem ad eas lucrandas pro Gallis nonnisi primo Aureliam, quo etiam Rex, & Regina peregrinati sunt, & postea Parisinam Urbem designabat, quo innumeri ferme homines e toto Franciæ regno confluebant.

§. XXXIX.

Sebastiani ementiti Lusitaniæ Regis historia.

Erhard. to. 2
Script.
Præd.
Spond. n. 26.

Communis equidem fama ferebat, Sebastianum Lusitaniæ Regem, prælio, quod anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo cum Mauris in Africa infausto Marte confecerat, occubuisse, cum vero corpus ejus nullo unquam tempore reperiri potuerit, nec de certo mortis suæ genere constaret, hinc quidam hujus incertitudinis opportunitate utendum ratus se verum Sebastianum simulare decernebat. Suffragabatur ejus commento ætatis, staturæ, sermonis, vultusque similitudo, necnon exacta arcanarum etiam rerum, quæ genuinus Rex gesserat, notitia: his ergo armis instructus anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo octavo Venetias proficiscebatur, ubi veri Sebastiani dicta, & gesta, necnon secretissimas quasque nego-

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

negotiationes cum ipsis etiam Venetis
 habitas tanta integritate commemora-
 bat, ut ii, qui olim Sebastianum Regem
 de facie noverant, hunc impostorem abs
 dubio ipsissimum Regem suum esse affir-
 marent, quos inter etiam Pater Ste-
 phanus de Stampajo patria Ulyssipo-
 nensis Ordinis sancti Dominici Alumnus,
 Vir alioquin æque probus, ac doctus, e
 Francia clam Venetias veritatis com-
 probandæ gratia profectus, hunc genui-
 num esse Sebastianum tam firmiter sibi
 persuasum habebat, ut in Lusitaniam re-
 versus apud Proceres feliciter, caute
 tamen, ementiti hujus Sebastiani rem
 ageret: hujus vero fabulæ fama ad
 Philippum III. Hispaniæ Regem delata
 per Oratorem suum Venetiarum Sena-
 tum rogabat, ut redivivus hic Sebastia-
 nus carceri manciparetur, ne forte Lu-
 sitani ad recuperandum regnum antea
 Antonio Notho ereptum animum ad-
 jicerent: igitur custodiæ datur hic frau-
 dum Architectus: ast coram Judicibus
 interrogatus absque hæsitacione respon-
 debat, quod prælio captus non sine lu-
 culento divinæ potentiæ prodigio liberta-
 tem recuperarit: ob leviter tamen susce-
 ptam belli expeditionem in regnum
 redire erubescens per plures annos i-
 gnotus varias Asiæ, & Africæ regiones
 peragravit, variisque ærumnis, at-
 que

Hist. Eccles. Tom. LII.

R x

que

Sæcul. XVI.**A.C. 1600.**

que incommodis confectus subnigrum
 faciei colorem induerit, nunc vero in
 Europam redire, necnon Lusitanæ Re-
 gnum a Philippo repetere statuerit. Sub
 idem tempus Pater Stephanus Domi-
 nicanus Venetias reversus pro Sebastia-
 ni libertate apud Senatum tam in-
 defesso studio laborabat, ut ad Henrici
 IV. Regis, & Elisabethæ Anglorum Re-
 ginæ preces, necnon Foederatorum Bel-
 gii Ordinum, aliorumque commenda-
 tionem Veneti hunc supposititium Re-
 gem die decima quinta Decembris li-
 berum dimitterent, ea tamen lege, ut
 eodem adhuc die Venetiis, intra tri-
 dui vero spatium tota ditione excede-
 ret: postquam autem in Lusitaniam pro-
 fecturus per Etruriæ Ducatum iter in-
 stituerat, ibidem ineunte anno sequenti
 Ferdinandi Ducis jussu Florentiæ cap-
 tus Hispanorum potestati tradebatur,
 a quibus primo Neapolim abductus,
 necnon quæstioni subjectus, militari ju-
 dicio tanquam impostor per Urbis ple-
 teas a fello imponebatur, tonsaque bar-
 ba, ac capillitio in prætorii triremi re-
 mo alligatus aliquamdiu hæserat: po-
 stea in Hispaniam delatus, arcique in-
 clusus promeritas suæ fallaciæ, necnon
 rebellionis in Lusitania promotæ pec-
 nas dederat.

S. XL.

§. XL.

Sæcul.XVI.
A. C. 1600.

Ludovici Molinæ Societatis Theologi
obitus.

Varii quidem Scriptores, qui vel in eloquentia, vel arte poetica calamos suos exercuerunt, hoc anno fati functi recensentur, eorum tamen vitam describere, nostri non est instituti: Scriptoribus tamen ecclesiasticis annumerari meretur Ludovicus Molina natione Hispanus, patria Conchensis, qui humanioribus literis eruditus anno ætatis suæ decimo octavo, Christi autem millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio die decima Augusti inter Societatis Clericos adoptatus est, atque apud suos tantum in Philosophicis æque, ac Theologicis disciplinis profectum fecerat, ut in Eborensi Lusitanix Regni Academia per plures annos Theologiam publice traderet, ubi simul religiosam pietatem cum profunda eruditione conjungens, quæ lingua docuit, opere explevit: tandem vero die duodecima Octobris hoc anno Madriti animam Deo reddidit. Scripsit is tomos sex *de justitia, & jure*, necnon Commentarios in primam partem Divi Thomæ duobus tomis comprehensos, qui anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio Conchæ, & postea alibi iterato

Liv. Meyer
Hist. Con.
tom. 1. p. 252.
Alegamb.
Bibl. Script.
Soc. litt.
Iselin. Lexic.
Thu. 1. 131.
p. 1040.

R r 2

prælo

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

prælo excusi prodire: ceteris tamen
ejus lucubrationibus magis cognitus est
ejus liber *de concordia gratiæ, & liberi
arbitrii* unacum appendice ad eundem li-
brum, ob quem tamen Author, cum
plus homini, quam Deo tribuere vide-
retur, a pluribus passim Theologis, præ-
sertim vero a Dominico Bannes primo
Salmanticensis Facultatis Theolo-
gicæ Doctore, acriter impugnabatur,
cumque initio Pater Antonius Padua
Societatis Theologus, postea Franciscus
Suarezus, ac demum omnes Jesuitæ
Molinæ doctrinam pro aris, & focis tue-
rentur, communis, & publica inter u-
triusque Scholæ Doctores, eorumque
fautores oriebatur contentio, quæ sa-
mosis congregationibus, crebrisque con-
sultationibus sub Clemente VIII. & Pau-
lo V. habitis jam antea ansam dederat,
quin tamen hæc controversia aut inter-
minata damnationis sententia, aut im-
posito utrinque silentio extingui possit,
adeo, ut non sine maximo Ecclesiæ da-
mno propagata hodieum cernatur, hu-
jus mali culpam mutua accusatione Fra-
tribus Prædicatoribus in Jesuitas, his
vero in illos rejicientibus, quamvis o-
mnino certum sit, quod tunc, si adversus
avitam de gratia doctrinam nova non
fuisset adinventam opinio, nunquam no-
va, & funesta hæc controversia inter
Doctores

Doctores veteris sententiæ optime gnaros fuisset suscitata, quam nunquam ab initio fuisse motam omnes usque ad hanc diem summi Pontifices, probique, ac docti Viri exoptant.

Sæcul.XVI.
A.C.1600.

§. XLI.

Davidis Chytræi mors.

Inter Scriptores secta Lutheranos, qui hoc anno fati cessere, celebrior est David Chytræus, quem quidam patria Wirtembergicum, ac Braenheikemæ Wirtembergensis Principatus oppido, alii vero die vigesima sexta Februarii anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo Ingelsingæ in Suevia natum asserunt. Hic a Matthæo Kochhafen Patre suo ad literarum studia tam sedulo incitabatur, ut nono ætatis suæ anno ad Tubingensem Academiam missus ibidem prima laurea, ac demum quindecim annos natus Magisterii honoribus decoraretur: postea anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto Wirtembergam, inde Heidelbergam, & Tubingam profectus, ac rursus Wirtembergam reversus tertio post anno astronomicis disciplinis operam navare cæperat, cum tamen sciendi ardorem domesticis literarum exercitationibus satiare haud posset, anno post Christum natum millesimo quin-

Iselin. v. David. Weism. to. 2. Hist. Eccles. Sæc. XVI. p. 129. Melch. Adam. vit. Theol. Germ. p. 687. Thuan. Hist. l. 126.

R r 3 gen

Sæcul. XVI. **A.C. 1600.** gentesimo quinquagesimo ingenii exor-
 lendi gratia per Germaniam, & Helve-
 tiam in Italiam contendebat, inde ven-
 sequenti anno Rostochium revocatus
 ibidem non modo Theologiam publice
 tradebat, sed etiam Philosophiam, at-
 que historiam professus Herodotum, &
 Thucydidem interpretabatur, ubi des-
 mum anno a Virginis partu millesimo
 quingentesimo sexagesimo primo Docto-
 ratus lauream emeritus fuit. Interfuit
 is quoque Comitii Augustanis, ad que
 Udalricum Megalopolitanum Ducem
 anno Domini millesimo quingentesimo
 sexagesimo sexto comitatus fuerat; por-
 ro tertio post anno in Lutheri secta per
 Austriam, & Styriam propaganda ope-
 ram suam impendere satagebat, simul-
 que circa annum Christi millesimum
 quingentesimum septuagesimum quin-
 tum Julii Brunsvicensis Ducis jussu Helm-
 stadiensem Academiam novis statutis
 illustrabat: insuper cum hujus Viri fama
 cresceret, ab Augusto Saxonæ Electo-
 re accersitus ad procurandam Protestan-
 tium unionem vires suas intendebat,
 quam ob rem in theologicis Colloquiis
 Torgavii, Magdeburgi, Tangermundæ,
 & Juterbaci habitis disputans cum ce-
 teris concordæ formulam procudebat:
 præterea aliis gravioribus negotiis præ-
 positus Superintendentis, ut vocant,
 munus

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

munus Rostochii obibat, tandem vero die vigesima quinta Junii hoc anno, ætatis autem suæ septuagesimo mortalitatem exiit, summa sane laude dignissimus, nisi ingenii sui felicitatem, aliasque liberalioris naturæ dotes unice in propugnandis sectæ suæ erroribus impendisset, quo tamen zelo apud Heterodoxos sibi ingens nomen comparabat, atque præ ceteris quidam ex recentioribus Scriptor eundem sequenti elogio commendare haud dubitabat: *Famam habet Viri jucundissimi, omni fere literarum genere instructi, gravis in consiliis, moderati in rationibus agendi, perspicacis in inspiciendis, & notandis ævi sui defectibus, pacis Ecclesiæ cupidi, in historia scribenda fidelis, & sinceri: verum hanc prærogativam magis sinceri Scriptores Chytræo abnegant. Hujus Scriptoris vitam conscripsere Sturcius, & Otto Fridericus Schüz, qui posterior anno Christi millesimo septingentesimo vigesimo Hamburgi ejus gesta, & scripta singulari libro commendabat.*

§. XLII.

Hujus Scriptoris lucubrationes.

Absque omni controversia Chytræus *Thuan. l. e.* plurimum commendandus est ob *Iselin. &* plurimas, easque sat eruditas lucubra- *Menckens* tiones, quibus, ut ait Thuanns, tot Vi- *lit. C.*

R r 4

rorum

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

rorum memoriam, quantum in ipso erat
asseruit: scripsit vero I. historiam Con-
fessionis Augustanæ. II. Chronicon Sa-
xonix. III. Descriptionem regionis Crei-
chovianæ ad Neccarum. IV. Catalogum
Conciliorum. V. Seriem annorum vi-
tæ, honorum, rerum gestarum, & scri-
ptorum Ciceronis, nec minus varios que-
que commentarios in sacras Paginas
divulgabat, ex quibus præcipue de præ-
dicatur. I. Itinerarium, & Chronicon
totius Scripturæ. II. Ennarratio in A-
pocalypsin, ac Pentateuchon. III. in Mi-
chæam, & Nahum explicatio. IV. In
historiam Judicam. V. In Evangelium
Matthæi, & Joannis. VI. de Baptismo, &
Eucharistia, necnon de morte, & vita
æterna. VII. Tractatus in Josue, & li-
bellus de ponderibus, monetis, & men-
suris sacris: exstant præterea alia ope-
ra ab eodem Scriptore typis edita, in-
ter quæ celebrantur I. Catechesis. II.
Regulæ fidei. III. Regulæ studiorum,
seu ratio discendi. IV. Onomasticum
Theologicum. V. Explicationes vo-
cabulorum necessitatis, determinationis
divinæ, fati, contingentix, virium hu-
manarum, & liberi arbitrii: denique
scripsit de utilitate Herodoti.

§. XLIII.

Sæcul.XVI.
A.C.1600.

Origo, & progressus duarum factionum inter Calvinistas.

Ad exitum hujus sæculi revocantur exordia novæ factionis, quæ in duas sectas scissa Calvinistarum Ecclesiam gravi, ac diuturno schismate divexabat, cujus historiam impræsentiarum pertexere constituimus. Bicipitis hujus monstri Parentes exstitere Jacobus Arminius, & Franciscus Gomarus, ambo Lugduni Batavorum Academiæ Professores, ac Calvinii hæresi, quæ Reformatorum secta appellatur, addicti: cum enim jam a primo Calvinianæ hæresis exordio semper inter Theologos nonnulli reperirentur, qui non paucos doctrinæ prius a Zwinglio adinventæ, ac postmodum a Calvino correctæ articulos abominabantur, ac præcipue, ut inquit Weifmanus, Prædestinationem crudam a Calvino, & Beza excogitatam concoquere non poterant, nec Theologiam in Catechismo Palatino, seu Heidelbergensi, aliisque ejusmodi libris contentam admittebant: inde continuo quædam inter sectæ Ministros gliscebatur altercatio, quæ tamen ultra illius Academiæ limites, eoquod bellum inter Foederatos Ordines, & Hispanos adhuc ferveret, in

*Weifman. l.c.
Neville
Hist. d' Holland. tom. I.*

R r 5

aper-

Sæcul. XVI. apertas flammæ nondum eruperat:
A.C. 1600. cum autem Delphienſes Theologi li-
 brum, in quo doctrinam, ut vocant, *in-*
fra-lapsariorum innovabant, publicis
 typis divulgarent, eidemque hunc titu-
 lum præfigerent: *Reſponſio ad argumen-*
ta quædam Bezzæ, & Calvinii ex Prædeſtina-
tione ad caput nonum ad Romanos, mox
 Theologorum non pauci exurgebant,
 qui gratiam univerſalem, aliaque ejus-
 modi dogmata lingua, & calamo pro-
 pugnant, atque inter ceteros Marti-
 nus Lydius, antea Amſtelodamenſis, ac
 tunc Franekeranus Theologiæ Profeſ-
 ſor præfatum librum quantocius Am-
 ſtelodamum ad Jacobum Arminium
 tranſmittebat, petens, ut Bezzam ab il-
 lis, quæ Fratres Delphienſes objicerent,
 vindicaret. Arminius Lydii amici ſui
 precibus expugnatus hanc in ſe provin-
 ciam ſuſcipere eſt aggreſſus: cum au-
 tem utriusque ſententiæ monumenta
 ponderaret, necnon Ægydii Hunnii
 ſcripta maturius pervolveret, atque
 Amſtelodamenſis Synedrui juffu Coorn-
 hertii librum refutare niteretur, Del-
 phienſium opinionem, & Coornhertii ra-
 tiones, quas cæperat impugnare, vero
 magis ſimiles cenſebat, atque ab ipſa
 Bezzæ ſententia multo magis, quam ipſi-
 met Delphienſes, recedebat, ſuaque
 dubia Franciſco Junio privata adhuc
 con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

consultatione communicabat. Attamen hac sua mutatione plurimorum invidiam sibi accersebat; inter ceteros vero acrius in eum invehebatur Franciscus Gomarus, qui primorum e Calviniana secta Doctorum opinionibus circa absolutam Prædestinationem, reprobationem, Gratia inamissibilitatem, aliaque istis similia dogmata firmius inhærebat, atque suæ sententiæ non modo primorum Reformatorum, sed etiam divi Pauli, & sancti Augustini auctoritatem suffragari autumabat: propterea Arminium palam incubabat, quod libertatem hominis plus extolleret, quam ipsimet Catholici, a quibus tamen Evangelici, & Reformati, seu Lutherani, & Calvinistæ præprimis circa hunc articulum recesserant: nec his contentus Gomarus, insuper publice proclamabat, quod Arminii sententia unice eo collimet, ut hominem in sua superbia, præsumptione de propriis viribus, ac sua erga Deum ingratitude foveret: eapropter adversus Arminii venenum, prout passim ipsius doctrinam appellitabat, non modo cuncta corradebat argumenta, sed etiam factionem suam potentium virorum auctoritate, & scholarum, atque amicorum numero magis conspicuam reddere satagebat, Haud seguius Arminius liberum hominis arbitrium

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

trium deprædicabat, nostramque voluntatem asserere ad salutem, vel damnationem influere potentius, quam Protestantes hucusque agnovissent, ideo Francisci Gomari sententiam utpote nimis rigidam variis censuris perstringebat, affirmans, quod hac sentiendi ratione Deum peccati Authorem faceret, simulque hominem a piarum actionum studio, & salutis suæ cura averteret. Ne deerant Arminio validi sententiæ suæ fautores, quibus suam quoque factionem semper celebriorem reddere nitentur: inde vero scholastica hæc altercatio, quæ primis annis nonnisi in unius Academiæ Collegiis agitabatur, brevi in publicam controversiam, commune inter Reformatos schisma, ac denique in duas ex una hæresi progenitas sectarum hydras degenerabat, quarum una vocabatur factio Arminianorum, altera autem Gomaristarum. Porro priusquam de hujus controversiæ progressu agemus, haud incongruum erit, utriusque hujus Primipili vitam describere.

§. XLIV.

Arminii gesta, & scripta.

*Hornius in
Hist. Eccl.
Leydeck. not.
ad Horn.
p. 368.*

An Arminius laude, vel vituperio dignus sit, ex Scriptoribus A Catholicis certum judicium efformari haud potest;

test, quippe omnium Sectariorum mo-
 re ab illis, qui ejus sectæ adhærebant,
 summis celebratur elogiis, ejus vero Ad-
 versarii, quos Arminius impugnabat,
 etsi ipsum, priusque suam mutasset sen-
 tentiam, ad sydera usque extulissent,
 mox illum tanquam pestem, atque ob
 ingenium luxurians, & novaturiens ve-
 luti contagiosum hominem abomina-
 bantur: narrat enim Georgius Hor-
 nius, quod Amstelodamense. ut vocant,
 Consistorium nunquam in Arminii di-
 missionem consentire voluerit, cum pru-
 dentiores existimarent, quod ingenium
 tantopere luxurians, ac novitatibus
 inhians evidentiori periculo esset
 in Academia, quam in Ecclesia qua-
 dam particulari, ubi facilius coerceri
 posset. Beza in epistola ad Martinum
 Lydium de Arminio adhucdum ejus
 doctrinæ addicto hæc scripsit: "Scitote,
 „ex quo Arminius Basilea ad nos rediit,
 „ita probatam esse nobis tum ipsius do-
 „ctrinam, tum etiam vitam, ut optima
 „quæque, si eodem porro cursu perexe-
 „rit, de ipso speremus; tribuit enim illi
 „Deus inter cetera felix ingenium re-
 „bus, tum perspiciendis, tum dijudi-
 „candis, cui si pietas, cujus se studio-
 „sum ostendit, deinceps moderabitur,
 „fieri non potest, quin hæc vis ingenii
 „tam ætate ipsa, quam rerum usu con-
 „firmata

Sæcul.XVI.
 A. C. 1600.

Bellius Dist.
 T.I. p.359.
 lit. D.

Martinius
 ep. ad Vor-
 sium.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

„firmata uberrimos fructus proferat, „
Leydeckerus ex aduerso testatur, quod
Beza de Arminio jam male ominatus
fit, cum Genevæ studiis incumberet:
ceterum Petrus Bælius haud absone
de illo hæc habet: „ longissime sa-
„tius fuisset, si Arminius hebes esset,
„quam ingeniosus, gloria enim dati se-
„ctæ cuidam hominis, quæ celebris est,
„& magros produxit homines, bonum
„est admodum chimericum, si confere-
„tur cum malis realibus, tædio, dolore,
„& amaritudine ab ipso Arminio inde
„degustatis, quibus certe caruisset, si
„Theologus fuisset vulgaris, homo exi-
„lis ingenii, talis, uno verbo, de quibus
„proverbio dici solet, quod tales nullius
„hæresis Authores futuri sint. „ Alii
Arminium deprædicant tanquam Vi-
rum magni, & acuti ingenii, eruditum,
moderatum, virtutis studiosum, pacis a-
mantem, & qui facile videtur acquietu-
rus, si candide, christiane, & theologicè
cum ipso actum fuisset. Martinius quo-
que de Arminio ita scribit: „ Fuit Vir
„Dei timens, eruditissimus, & in contro-
„versis Theologicis exercitatissimus, in
„scripturis potens, valde circumspectus,
„& *anglicis* in philosophicis terminis ad
„res Theologicas accommodandis. „
Buxtorfius quoque Arminium appellat
inclytum Belgii lumen: moderatius ta-
men

Sæcul.XVI.
A. C. 1600.

men elogium eidem attribuit Spanhemius, dum Arminium fatetur fuisse Virum multæ doctrinæ, mansueti ingenii, peregrinatione Helvetica, Genevensi, & Italica excitati, sed acuminis nimii, liberiorisque judicii, oris, ac calami ex obtentu indagandæ Veritatis: quam insulsis vero elogiis Arminium commendavit Latermannus, ex eruditis nullus ignorat. Ita bene vel male de Arminio pro diverso, quo in eum ferebantur, studio, aut odio sentiebant Protestantes: ut ut autem res se habuerit, paucis totum vitæ ejus stadium percurramus. Jacobus Arminius anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo Veteraquinis, seu Aquis veteribus, oppido in Hollandia ad Isalam flumen sito, natus, brevique Patre suo orbatus cujusdam Sacerdotis Catholici cura literis imbuebatur: postea vero Ultrajectum delatus, obeunte eodem Presbytero, unacum Rudolpho Snellio Calvinista anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Marpurgum, inde vero Lugdunum Batavorum contendit, ubi in hujus urbis Academia tantum in literis profectum fecerat, ut anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo ipsius Magistratus expensis Genevam missus sub Theodori Bezæ auspiciis sua studia perficeret: postquam
vero

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

vero Petri Rami, qui Ecclesiæ regimen in Democraticum systema transmutare aggressus aliunde Reformatis invisus erat, Philosophiam pertinacius propugnauerat, crescente adversariorum invidia tandem urbe excessit, Basileam profectus, ubi Joannis Jacobi Grynaei magisterio usus Doctoratus laurea decorabatur: demum Basilea Genevam delatus Patavium venit, ut ibidem Jacobum Zabarellam celeberrimum Philosophiæ Professore[m] audire valeret, quo in itinere ex commercio cum Bellarmino quosdam Calvinii errores agnovisse, & nonnulla veræ fidei dogmata haussisse dicebatur, quamvis hoc ab aliis inter meras conjecturas rejiciatur, ac ipsemet Arminius hujus rei famam veluti calumniam a Reformatis in ipsius odium excogitatam confutasse referatur. Postea ex Italia reversus Amstelodami per quindecim annos ad populum dicebat, ubi adversam Delphiensium doctrinam circa prædestinationem referere aggressus est: at mutata, ut memoravimus, sententia illos, qui Deum ex mero beneplacito homines ad æternam mortem damnare docebant, velut hæreticos, ac blasphemos traducebat, asserens, quod Deus ex creatis, & lapsis hominibus illos prædestinaverit, qui vocationem suam in vero fidei obsequio adimplerent.

adimpleturi sint: ex hac autem doctrina Amstelodami non levis inter Ministros Protestantes oriebatur contentio: cum vero Arminius a Synedrio Amstelodamensi dimissus Lugdunum Bavorum ad tradendam Theologiam anno post Christum natum millesimo sexcentesimo tertio evocaretur, sua dogmata cum Francisco Junio, cujus vices in Professoris munere supplebat, contulit, ac majori libertate in docendo usus tam pertinaciter suam propugnabat doctrinam, ut ipsi etiam Scholares juxta diversam Præceptorum institutionem inter se dissidere, atque in factiones scindi inciperent, mutuam altercationem magis accuentibus libellis, quos Arminius sub idem tempus de Providentia Dei, permissione circa peccata, necnon Jure Dei in creaturas evulgabat, non sine maxima Reformatorum invidia. Hos inter Arminius accerrimum hostem experiebatur suum Collegam Franciscum Gomarum, qui publice jactitabat, quod Arminius Papistarum, quo nomine Catholicos appellitabat, doctrinæ, habenas laxaret, ipse vero cum Arministarum sententiis ad Christi judicantis tribunal comparere non auderet, eo quod eorum doctrina adeo nefandis scateret erroribus. Tandem Arminius adversariorum numero, & potentia op-

Sæcul. XVI.

A. C. 1600.

Hist. Ecclesj. Tom. LII.

S s pref.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

pressus, necnon iniquos hostium suorum ausus pertæsus ex animi mærore anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nono, ætatis suæ quadragesimo nono die decima nona Octobris vitam finivit, relictis post se innumeris sectæ suæ Discipulis. Scripsit hic Vir præcipue tractatum de primariis Religionis articulis, analysin capituli noni ad Romanos, amicam collationem cum Francisco Junio, Examen thesium Gomari, necnon libri Perkinsiani præter tractatum de prædestinationis modo, & ordine, necnon de amplitudine divinæ gratiæ: insuper exstant etiam nonnullæ orationes, & insigniores aliquot tractatus de diversis argumentis unacum epistola ad Hyppolitum a Collibus. Porro Petrus Bertius in oratione Arminii operibus præfixa ipsius vitam descripsit. Ceterum Arminius accusatur, quod Christophoro Ostorodo Sociniano, & Vaivodovio eadem hæresi infecto favorit, ac Socinianorum libros clam in Belgium invehiri curarit, eosque suis affectis distribuierit.

§. XLIV.

Francisci Gomari vita.

*Ifelin. &
Menck. lit. &
Weisman.*

Alter novæ litis Author, ac præcipuus Arminii adversarius erat Franciscus Gomarus, qui anno Nativitatis Domini

tom. 2. p. 357.

Sæcul. XVI. centesimum tertium cum Arminio a-
A.C. 1600. crem habebat disceptationem, ac pro-
 pter nimiam suam vehementiam non
 modo adversariorum, sed etiam ipso-
 rum Protestantium sibi alias addictorum
 invidiam in se concitabat; ex ipsis e-
 nim *Epistolis*, ut vocat, *remonstran-*
tium satis elucet turbidum hujus viri in-
 genium, atque inplacabile in Armi-
 nium, & Remonstrantes odium, unde ipse
 Bælius, etsi sit Scriptor Calvinista,
 fatetur, quod calor disputationis adversus
 Arminium cum influentiis malignis amula-
 tionis professoriæ ad extrema Gomarum
 impulerit, illiusque iudicium turbarit: quan-
 tum vero ad modum, quem in dis-
 putatione adversus suos hostes in Dor-
 dracena Synodo tenebat, referunt non
 solum Remonstrantes, sed etiam Angli
 Doctores tum præsentis, quod *hic modus*
judicandi, & pertractandi hæc controversi-
as fuerit superbus, sectarius, præjudica-
tus, violentus, & carnalis. Insuper de
 eodem narratur, quod in eodem Conci-
 liabulo adversus Martinium tam impo-
 tenti furore debacchatus sit, ut detracta
 chiroteca eundem ad singulare certa-
 men provocarit, eoquod hic ejus opi-
 nioni acquiescere detrectarit, quæ ta-
 men agendi ratio haud incongrua fuit
 præfato Concilio, quod ipsimet Prote-
 stantes Ecclesiam malignantium, æter-
 num

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

num Ecclesiarum Reformatarum pro-
brum, horrendum, atque detestandum,
infaustumque vindictæ studium appel-
litant: nihilominus sua, fuorumque po-
tentia prævalens Gomarus *supra-lapsa-*
riorum Belgii Fœderati Caput, ac Go-
maristarum Princeps audit, dum viven-
te adhuc Arminio tam privatim, quam
coram Fœderatis Hollandiæ Ordinibus
anno Christi millesimo sexcentesimo o-
ctavo, necnon sequenti anno in quin-
que conventibus summa acerbitate suam
doctrinam contra Adversarios suos pro-
pugnavit, nec tamen Arminium vince-
re poterat, quapropter interno livore, ac
tædio cruciatus, cum Conradum Vor-
stium defuncti Arminii loco ad Lugdu-
no - Batavinam Cathedram vocari per-
cepisset, anno post Christum natum mil-
lesimo sexcentesimo undecimo præfatæ
urbis Academiam reliquit, indeque
Metelloburgum Zeelandiæ urbem sece-
dens, ibidem Pastor, ac Theologiæ, &
linguæ hebraicæ, anno autem millesi-
mo sexcentesimo decimo quarto Sal-
muri, & tandem quarto post anno Grö-
ningæ Professor nominabatur. De-
mum anno Redemptionis nostræ mille-
simo sexcentesimo quadragesimo primo
die undecima Januarii anno ætatis suæ
septuagesimo quarto morte sublatus pe-
riit. Inter alia ingenii sui monumenta

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.
posteris reliquit I. examen controver-
fiarum de genealogia Christi, II. inve-
stigationem originis Sabbati. III. Poe-
ticam hebraicam, sive commentarium
de Lyra Davidis: præcipue vero ab e-
jus affectis commendantur illius com-
mentarii, quibus novum Testamentum
dilucidasse dicitur: porro cuncta ejus
opera in unum volumen contracta Am-
stelodami anno supra millesimum
sexcentesimo quadragesimo quinto typis
excusa prodire.

§. XLVI.

*Continuati Arminianorum, & Go-
maristarum tumultus.*

Weism. l. 6.
Neuville
Hist. D' Hol-
lande. t. 2.
Synoda
Lexicon.
Polem. V.
Arminiani.
Hucusque mutua Arminium inter, &
Gomarum dissensio intra privata-
rum, acerbiorum licet, disputationum li-
mites coercebatur, postquam vero Ar-
minius Lugdunum Batavorum evocatus
erat, ipsius adventum præpedire quam-
plurimi toto studio nitebantur, qui o-
mnino Arminium exclusissent, nisi Joa-
nes Utenbogardus Pastor Hagienlis sua
auctoritate adversariorum insultus fre-
gisset: ex eo tamen temporis articulo
lis utrinque in apertas erumpebat flam-
mas, ac Gomaristæ Arminianos auda-
cia, & temeritate superantes, quosdam
sua factionis Viros ad Arminium depu-
tabant, qui partim ex lectionibus, par-
tim

Sæcul.XVI.
A.C. 1600.

tim ex Arminii sermonibus triginta, & unum proponebant articulos, in quibus propositiones malignas, erroneas, falsas, ac omnino damnandas contineri aiebant. Fatetur Weismannus, quod ipse hosce articulos in Arminii operibus *cum attentione, & admiratione* perlegerit, "sole autem clarius inde pateat, iniquissimus procedendi modus, affectate structæ insidiæ, ac proditoria conscribillatio eorum, quæ in privato cum amicis colloquio, vel in disputationibus privatis, ac publicis dixerat: vix enim unum propriis suis verbis conceptum esse articulum falsus est Arminius, plerosque mentem ejus pervertere, nonnullos etiam, prout jacent, innocuos esse aiebat: Sit quaecunque judicium de hisce articulis, id omnino compertum habetur, quod Arminius horum Deputatorum auctoritatem vilipenderit, atque ad singulos hosce articulos perspicue responderit, graviter questus, quod ejus scripta, & dicta contortis, falsis, atque ab ipsius mente alienis interpretationibus corruerint: cum autem debitæ moderationis limites utrinque enormiter excederentur, Fœderati Hollandiæ Ordines rem ad funestum schisma spectare rati totis viribus in id incumbabant, ut pristina inter utramque partem concordia stabiliretur, ac doctri-

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

næ unitate, quantum inter factiones fieri posset, revocata Catholici præpedirentur, ne Protestantibus occasione ex mutuis istorum criminationibus acceptata objicerent, quod in ipsorum Ecclesia in varias sectas scissa Pelagianismus, Socinianismus, Arianismus, aliæque dudum damnatæ hæreses libere grassentur, erectoque collo dominantur: ideo iidem inter Arminium, & Gomarum anno salutis nostræ millesimo sexcentesimo octavo publice colloquium de quæstionibus controversis Hagæ haberi præceperunt nec huic Ordinum mandato parere recusabant Arminius, & Gomarus, sed uterque quosdam, eosque celebriores suæ partis Theologos, ac suæ causæ studiosissimos vel ut victoriæ testes, vel pugnæ socios seligebat. Equidem Arminius disputationem ab argumento Prædestinationis, Gomarus tamen a doctrina Justificationis inchoandam esse postulabat, pro more Caussidicorum, inquit Bælius, qui ex ea præcipue parte causam suam agere, & exponere solent, qua magis speciosa est. Porro Arminius egregie quidem in hoc colloquio argumentum de permissione Divina, & Prædestinatione explicabat, ordinem vero materiarum præscribendi facultatem Hollandiæ Ordines concesserunt Gomaro, vel ex favore partis numero

nobilioris, vel ut nimium ejus fervorem mitigarent: igitur frequens juxta, ac pertinax, habetur colloquium, in quo non tantum Ministri, & Magistratus, sed & futores, fabri, sartores, aliique cives in hoc Religionis dubio sententias suas edicebant, quin ulla pars alteri cedere vellet, cum singuli sacras literas interpretandi, ac privato suo spiritu dijudicandi jus, facultatemque sibi competere assererent, ac libros symbolicos utpote a Viris æquali cum ipsis auctoritate, ac vocationis privilegio munitis compositos tanquam controversiæ judices agnoscere renuerent: inde vero factum, ut post crebras vociferationes, tumultus, mutuasque criminationes, & convitia conventus re infecta, amissaque concordiae spe dissolveretur: cum vero Ordines manifeste deprehenderent, quod pacis remedium ab eis propositum non nisi ad augendum malum, fovendamque diffensionem contulerit, nec exinde alius promanarit fructus, nisi quod distinctius contendentium affectus, ac utriusque factionis genium dignosci potuerit, hinc cuncta hujus collationis acta suppressi, altumque de hucusque astutatis silentium utrinque servari præceperunt. In hoc conventu observabatur, quod potissima ex parte Gomari factio ex Ministris, Nobilibus, & militibus,

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

Sæcul. XVI. Arminiana vero ex Magistratibus, civi-
A. C. 1600. busque coaluerit, atque exinde aliud
 quod antea prævisum non fuerat, ma-
 lum sit exortum; cum enim hi, qui e-
 jusmodi conventum convocaverant,
 non nisi laici, ut vocant, seu profani ho-
 mines essent, sibi que legitimæ Synodi
 auctoritatem arrogarent, Ministrorum
 quamplurimi, eo quod hoc agendi modo
 novitas ipsorum ministerio injuriosa in-
 duceretur, vehementer indignabantur,
 novamque inter se contentionem de mo-
 do convocandi Synodum, ac conditio-
 nibus in ea servandis excitabant, nam
 eorum aliqui propugnabant, quod
 circa Religionis dubia judicium ferre,
 definire, ac decidere non nisi Ministris, &
 quidem duntaxat in Synedrio, aut le-
 gitimo Concilio competeret, alii tamen
 contendebant, quod hæc facultas pro-
 fanæ potestati abnegari haud valeat.
 Hanc postremam opinionem, inquit No-
 vivilanus, Ordines ambabus amplecte-
 bantur ulnis, volupe habentes, quod
*Patriæ Principes, & Religionis Protecto-
 res* proclamarentur: gliscentem autem
 nova hac controversia brevi in vulgus
 scripta vulgabatur, quibus Christiani
 Magistratus potestas in sacra ad truti-
 nam vocata est, atque inter ceteros Ha-
 go Grotius Arminianis oppido addictus
 hanc in rem librum *de Imperio summe*

Natalis
Alex. sæcul.
XVI. p. 2.
art. 12 §. 7.
Newville to.
I. p. 44.
Hist. d' Hol.

rum Potestatum circa sacra, edidit: eandem quoque quæstionem pertractabat Joannes Utenbogardus in sua historia ecclesiastica, necnon in suo libro de officio, & auctoritate Christiani Principis in Sacra. Insuper mox altera oriebatur controversia circa fidei confessiones, & quosdam catechismos, quos recognoscendi copiam sibi fieri, Arminii assidue postulabant, lite autem sopita Fœderati Ordines utramque contendendum partem ad sua reverti jubebant, spe facta, quamprimum induciæ cum Hispanis firmatæ fuissent, œcumenicam Synodum convocatum iri: nihilominus quælibet factio sibi oppositam pessundare, suam vero virorum potentium auctoritate, & sociorum numero firmare clam satagebat, ac præcipue Gomaristæ nil intentatum, inausumque relinquerebant, ut Arminii famam variis convitiis proficerent, eumque cunctis invisum redderent, eapropter illum velut Semi-Pelagianum, & Papistam traducebant. Arminius sibi hæresis a toto retro sæculis ab universa Ecclesia damnatæ notam inuri dissimulabat, Catholicæ vero veritatis studiosum se nominari ægerrime ferens apologiam edidit, in hoc sane ludibrio dignus, eo quod Catholicus videri exterius abhorreret, cum tamen in causæ suæ defensionem

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

Sæcul. XVI
A.C. 1600.

*Horn. hist.
Ecl.*

*Adr. Borrii
epist. ad Sim.
Episc. 30.
Jul. 1609.*

fionem arma ex Bellarmino, aliisque Ecclesiæ Romanæ Doctoribus, eorumque libris emendicare non erubesceret, prout Arminii hostes eidem palam exprobrabant, atque ipsemet Gomarus re comperta apud Ordines in eundem gravem concitabat invidiam, hujusque criminatio- nis ope causam suam potenter promotebat, nunquam tamen magis impotenti furore in Arminium exarserat, quam in celebri disputatione, quam adversus eum circa media, quibus Deus ad nostram salutem utitur, die vigesima quinta Julii anno salutis nostræ millesimo sexcentesimo nono habebat, ubi duo etiam alii intererant Pugiles, scilicet Adrianus Schmid, seu Smetius Jesuita natione Belga, & Conradus Vorstius Steinfurten- sis Gymnasii Professor, qui tamen utpote Vir oppido astutus, ac simulationis artificio clarus quæstionis statum sibi haud satis cognitum esse fingebat, ceterisque liberum disputandi campum relinquens, ipse nonnisi quandoque interlocutus quædam proponebat dubia, quæ tamen vehementius urgere destitit. Verum vehemens, turbidumque Gomari ingenium pacatam disputandi normam diutius ferre haud poterat, quapropter internæ indignationis impetu verba intercipiente Adriano Smetio contra Arminium disputandi co-
pian

piam fecit, ubi Smetius gratiam efficacem, Arminius vero sufficientem, maxima moderatione, & honestate invicem usi, propugnabant: rursus vero Gomarus disputationem absque animorum, verborumque acerbitate continuari iniquo ferrens animo exclamabat: „plane indigna res, quod Doctor religione Calvinista tam strenue Papistarum doctrinam defendat, & Jesuita nostræ opinionioni nonnihil accedere videatur. „ His dictis indignatione plenus e confessu excessit, erupitque, ubi verbis oppido mordacibus, minasque spirantibus vindictam, quam animo agitabat, sat aperte manifestabat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

§. XLVII.

Arminiorum libellus supplex ad Hollandiæ Ordines.

Tandem post crebras utrinque alterationes hoc colloquium re infecta penitus dissolutum est, interveniente bitu Arminii, qui turbis istis intempestus facile prospexerat, quanta in tanta animorum contentione tam in Republica, quam in sua Ecclesia tandem oritura essent: enimvero hujus Viri morte nec error finitus, aut errantium furor, numerusque adeo non imminutus est, ut potius inter utramque factionem accerrima instauraretur pugna;

Natal.
Alex. l. c.
Newville
p. 47.
Weismann,
p. 1292.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

gna; quippe Arminiani, ut Magistri sua doctrinam diserte explicarent, quinque articulos circa materiam prædestinationis, Christi mortem, gratiam, liberum arbitrium, virtutes, & perseverantiam edebant, eosque anno Domini millesimo sexcentesimo decimo Hollandiæ, & Frisiæ Ordinibus porrigebant, unacum libello supplici, in quo Confessionem Belgicam, & Catechismum Heidelbergensem, quorum librorum auctoritati Gomaristæ cæco obsequio ancillabantur, in libera Synodo ad examen vocari, sibi que integrum relinqui postulabant, ut quinque articulorum doctrinam hucusque tam acriter impugnatam libere profiteri valeant, ac interim, donec res in Synodo decideretur, tanquam fratres tolerentur, nullusque propter præfatos articulos alteri negotium facessat: cum autem huic libello supplici hunc titulum: *Remonstrance*, seu *remonstratio*, sive *monitum*, vel *caussæ expeditio*, præfigerent, ipsique sæpius in hoc libello se *Remonstrantes* appellitarent, hinc deinceps Arminiani vocabantur *Remonstrantes*, seu *Calvinistæ molles*, eoquod Calvinianam dogmatum de Prædestinatione, & gratia duritiem moderarentur, ex adverso autem Gomaristæ, eoquod adversus hanc *remonstrationem*, seu libellum supplicem contrariam *remonstrationem*

tionem Ordinibus obtulissent, vulgo *Contra-remonstrantes*, seu rigidi Calvinistæ, utpote genuini Bezae, Calvini, Petri Martyris, & Zanchii, aliorumque hujus sectæ virorum filii nuncupabantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

§. XLVIII.

Quinque Remonstrantium articuli.

Natal
Alex. l. c.

Ceterum articuli, quos Remonstrantes ab Arminio Magistro suo acceperant, erant sequentes: *I. Deus æterno, immutabili Decreto in Jesu Christo filio suo ante jactum mundi fundamentum statuit, ex lapsu, peccatis obnoxio, humano genere, illos in Christo, propter Christum, & per Christum servare, qui Spiritus sancti gratia in eundem ejus filium credunt, & in ea fide, fideique obedientia, per eandem gratiam in finem perseverant: contra vero eos, qui non convertuntur, & infideles, in peccato, & iræ subjectos relinquere, & condemnare tanquam a Christo alienos, secundum illud Evangelii Joannis 3. v. 36. qui credit in filium, habet vitam æternam: qui vero Filio non assentitur: non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum. At conditiones salvandorum nimirum fidem, & perseverantiam ex prædestinatione tanquam ex fonte descendere negabant, imo contendebant, eas prædestinatione, seu electione priores esse, nec obscure ab homi-*

Sæcul. XVI. hominis voluntate suspendebant, ut ex
A.C. 1600. collatione Hagiensi compertum est.

II. *JESUS* Christus mundi Servator pro omnibus, & singulis mortuus est, atque id ita quidem, ut omnibus per mortem Christus reconciliationem, & peccatorum remissionem impetraverit, ea tamen conditione, ut nempe illa remissione peccatorum reipsa fruatur præter hominem fidelem, & hoc quoque secundum Evangelium Joannis 3. v. 16. *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, & 1. Joann. 1. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed pro totius mundi peccatis.*

III. Homo salutarem fidem a se ipso non habet, nec vi liberi sui arbitrii, quandoquidem in statu defectionis & peccati nihil boni, quod quidem vere bonum est, quale quid est fides salutaris, ex se possit cogitare, vel facere, sed necessarium est, eum a Deo in Christo per Spiritum ejus sanctum regi, & renovari mente, affectibus, seu voluntate, & omnibus facultatibus, ut aliquid boni possit intelligere, cogitare, velle, & perficere, secundum illud Christi Joann. 15. *sine me nihil potestis facere.*

IV. Hæc Dei gratia est initium, progressus, ac perfectio omnis boni, atque a Deo quidem usque, ut homo quidem regeneratus abique hac præcedente, seu adventitia, excitanti,

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

consequente, & cooperante gratia neque boni quid cogitare, velle, aut facere possit, neque etiam ulli malæ tentationi resistere. Adeo quidem, ut omnia bona opera, quæ excogitare possumus, Dei gratiæ in Christo tribuenda sint: quoad vero modum operationis illius gratiæ illa non est irresistibilis: de multis enim dicitur, eos Spiritui sancto resistisse; Actor. 7. & alibi multis locis.

V. Qui IESU Christo per veram fidem sunt insiti, ac proinde Spiritus ejus vivificantis participes, ii abunde habent facultatum, quibus contra Satanam, peccatum, mundum, & propriam suam carnem pugnent, & victoriam obtineant: verumtamen per gratiæ Spiritus sancti subsidium: IESUS Christus vero illis Spiritu suo in omnibus tentationibus adest, manum porrigit, & modo sint ad certamen prompti, & ejus auxilium petant, neque officio suo desint, eos confirmat: atque id adeo quidem, ut nulla Satani fraude, aut vi duci, vel e manibus Christi eripi possint, secundum illud Joannis 10. Nemo illos e manu mea eripiet. Sed an illi ipsi sua negligentia initium sui esse in Christo deserere non possint, & præsentem mundum iterum amplecti, a sancta doctrina ipsis semel tradita deficere, conscientiæ naufragium facere, a gratia excidere, penitus ex sacra Scriptura esset expendendum, aut

Hist. Ecclesiast. Tom. LII. T t quam

Sæcul. XVI.
A. E. 1600.

quam illud cum plena animi tranquillitate
& πλυροφορία docere possent.

Ceterum circa hosce quinque articulos audire lubeat Bælii Scriptoris reformati iudicium: Valde, inquit ille, dubito, esse hodie aliquos Gomari defensores tam zelosos, qui asserere audeant essati illius, quod diximus, justitiam. Calor disputationis cum influentiis malignis emulationis Professoricæ ad extrema ipsum propellebat, turbabatque illius iudicium: fatentur enim hodie vel rigidissimi Calvinistæ, quinque articulos Remonstrantium hæresin, seu errorem fundamentalem non complecti, atque innuunt haud obscure, facile sublatum iri schisma, nisi Secta Arminiana post Arminium in errores longe perniciosiores incidisset. Omnes itaque, quibus caput non ardet, ex personalibus controversiis, quæ Gomarum exacerbaverant, negant quemquam damnatum iri ob quinque articulos Arminianorum.

§. XLIX.

*Horum quinque articulorum explicatio
ab Arminianis facta.*

Cum non deessent, qui hosce articulos obscure non minus, ac captiose expositos dicerent, hinc Arminiani novam doctrinam variis Thesisibus in lucem editis explicabant, & quidem primo articulum de Prædestinatione propositionibus

nibus viginti, & una hunc in modum Sæcul. XVI.
A.C. 1600.
dilucidabant.

I. Prædestinatio, quæ electionem, & reprobationem complectitur, non est unica, sed duplex.

II. Prima est Decretum divinum, generale, seu universale, quo constituit credentes servare, incredulos damnare.

III. Hoc est totum, & integrum Prædestinationis Decretum.

IV. Decretum de salvandis fidelibus solum est fundamentum Christianismi, salutis, & certitudinis salutis.

V. Secunda Prædestinatio est Decretum divinum speciale, seu singulare, quo constituit juxta præcedens illud Decretum, hos salvare, illos perdere, id est, hos consideratos ut infideles, sive qui credere nolint, æterni morti, atque exitio addicere.

VI. Prædestinatio hominum ad salutem specialis duplex est, peremptoria, quæ æternæ salutis communicationem actualem, & realem sibi conjunctam habet: & non peremptoria.

VII. Peremptoria est Decretum Dei, de salvandis iis sigillatim, quos per Spiritus sui gratiam in Christum credituros, atque in hac fide ad finem usque perseveraturos prævidebat, quæ Prædestinatio solummodo ad salutem, & gloriam est, non autem ad gratiam.

Sæcul. XVI.

A. C. 1600.

VIII. Quæ salus in credentibus fidei præmium est, non autem finis.

IX. Gratia vero donationis Christi, vocationis, fidei, justificationis, adoptionis, perseverantiæ, non est medium Prædestinationi speciali ad salutem subordinatum: sed ea Prædestinationem ipsam naturæ ordinem antecedit.

X. Fides enim, obedientia illius, & perseverantia, ut ab homine præstita, & a Deo prævisa, est conditio in objecto eligendo prærequisita, ac causa sine qua non, cui Decretum electionis inimitur.

XI. Quæ fidei gratia non solis electis ad gloriam, & salvandis confertur, sed reprobis etiam, ac condemmandis.

XII. Ac fides electorum semel collata, omnino amitti, ac restitui potest, ideoque re ipsa interdum amittitur, & amissa restituitur.

XIII. Ideoque peremptorie electus in hac vita fieri potest reprobus, & rursum ex reprobo electus, unde sequitur, electionem peremptoriam aliam esse mutabilem, quæ est electorum viventium; aliam immutabilem, quæ est mortuorum tantum.

XIV. Electionis hujus causa impulsiva est, & solum, ac liberrimum Dei beneplacitum, & Christi meritum.

XV. Fidelium in hac vita de electione sui salvifica certitudo non est absoluta, sed

tantum conditionata, ut quæ ab incertæ per- Sæcul. XVI.
severantiæ conditione dependet. A.C.1600.

XVI. Absoluta electionis certitudo ad
pietatem non conducit.

XVII. Infantibus nullis convenit ele-
ctio, quod fide prævisa careant.

XVIII. Non peremptoria Prædestina-
tio est, quæ æternæ salutis communicationem
actualem, & realem sibi conjunctam non ha-
bet, eaque vel communis est non credenti-
bus, & credentibus, vel credentibus pro-
pria. Communis est, quæ communiter se
extendit ad omnes, qui divinæ vocationis
gratiose participes fiunt, sive vocationi pa-
reant, sive incredulitate eam respuant. Pro-
pria est, quæ solis vere credentibus non per-
severantibus convenit.

XIX. Reprobatio alia est peremptoria,
quæ actualem, & realem damnationem sibi
conjunctam habet; alia non peremptoria.

XX. Reprobatio peremptoria est De-
cretum de iis sigillatim damnandis, quos in
infidelitate morituros prævidebat.

XXI. Reprobi quidem ad tempus vi-
va fide sunt præditi, vivaque fiunt Christi
membra, justificantur, & regenerantur, sed
tandem omnino, ac perpetuo a fide defi-
ciunt, ac pereunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

§. L.

Articuli secundi explicatio.

Secundum articulum de Christi morte pro omnibus tolerata Remonstrantes sequentibus sex Thesis ita explicabant *I. Dei Patris in tradendo in mortem Filio voluntas, & intentio fuit, omnibusve & singulis hominibus, tam perituris, quam salvandis, salutem, aut vitam æternam conferre.*

II. Hæc Dei voluntas conditionata, non absoluta fuit.

III. Christi in subeunda morte intentio fuit, homines omnes, aut singula individua servare, tam eos, qui pereunt, quam qui salvantur: seu Christus pro Caino & Abele, pro Juda, & Petro indiscriminatum in communis lapsus, & peccati sorte consideratis, mortem sustinuit.

IV. Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est: reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum singulis promeruit, impetravit, & justitiæ Dei pro peccatis singulorum satisfecit, etsi non omnibus, & singulis, quibus impetrata sunt, applicentur.

V. Proinde Deus Pater, qui merito mortis Christi universo generi humano est reconciliatus, novum gratiæ fœdus cum omnibus, & singulis peccatoribus, damnationisque obnoxiiis hominibus inire potuit, voluitque: cum pretium Redemptionis, quod
Christi

Christus Deo Patri obtulit, in se toto hu-
mano generi redimendo sit sufficiens.

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

VI. Quia Deus universum genus hu-
manum in reconciliationis gratiam assum-
psit, & cum Adamo, omnibusque, ac sin-
gulis ejus posteris gratice fœdus iniit, ne-
mo nec infans, nec adultus propter ori-
ginale peccatum damnationi est obnoxius.

§. LI.

*Theses Arminianorum circa tertium,
& quartum articulum.*

Tertium, & quartum articulum de vir-
tutibus, præsertim autem de fide,
Remonstrantes his verbis exponebant
I. Eadem voluntatis humanæ actio, licet
diversa ratione considerata, dici non potest,
& contingens, & necessaria: contingens qui-
dem natura sua: necessaria vero respectu
Decreti divini: ea enim ratione ex vi,
& efficacia Decreti divini omnia mala ne-
cessario fierent.

II, Cum ab Adamo ante lapsum Deus
obedientiam exegerit libera voluntate præ-
standam, habituum, seu virtutum in volun-
tatem infusio locum habere non potuit, in in-
tellectum, & affectus potuit.

III. Ideo voluntas hominis, cum virtu-
tes illas admittere nequiverit, easdem per la-
psum amittere non potuit. Et voluntatis
vivificatio in mentis, & affectuum reforma-
tione consistit.

T t 4

IV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

IV. Deus autem ante statum regenerationis, gratiam salvificam certis gradibus iis largitur, qui reliquis imaginis Dei scintillis recte sunt usi, quemadmodum scriptum est: *Habenti dabitur.*

V. Post lapsum in statu peragenda regenerationis, injusiones habituum, seu virtutum tum in voluntatem, tum in intellectum, & affectus (si ordinariam conversionem spectes) repugnant mediorum, quibus Deus in homine novam vitam operari vult, administrationi.

VI. Itaque fides, qua primum convertimur, & a qua fideles nominamur, actus est, non habitus a Deo infusus, ex quo actus fidei oriatur: alioqui voluntas hominis (cum habitus infusus sit irresistibilis) haberet sese mere passive, pateretur, non ageret.

VII. Hujus actus fidei causa est Dei gratia, non omnipotens; (quasi ita fidem in homine operaretur, ut voluntas libertatis sua ei resistere, atque omnino fidei actum impedire nequiret) sed ea tantum ratione potens, ut suaviter in consensum alliciens suavisu suo a voluntate resistente perpetuo rejici possit, ne ullus unquam fidei actus consequatur.

*Explicatio quinti Articuli de
Perseverantia.*

Arminiani septem Theses divulgabant, quæ ad explanandum quintum articulum pertinentes his verbis orant conceptæ *I. Perseverantia fidelium in fide non est effectus electionis, qua Deus singulares personas nulla obedientiæ conditione circumscriptas ad salutem elegisse dicitur.*

II. Perseverantia non est donum Dei proprie dictum, fidelibus scilicet infusum, & morte Christi partum, sed præceptum, & conditio moralis novi fœderis, quam Deus inter multas possibles præscripsit, & ante peremptoriam electionem ad peccatorum remissionem in homine requirit: quamque homo habitu fidei, & obedientiæ per crebros credendi, & obediendi actus acquisito, facile præstare potest: accedente autem interno Spiritus sancti solatio, etiam præstare vult, ac plerumque præstat.

III. Stante auxilii divini promptitudine, & gratiæ sufficientis præsentia, positisque illis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria, & sufficientia sunt, quæque Deus ad fidem conservandam vult adhibere, imo etiam posito in ipsa voluntate fidei habitu, manet tamen in ipsa hominis potestate vel perseverare, vel non perseverare.

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

IV. Quotiescunque vere fideles operæ carnis enormia committunt, toties veram fidem totaliter amittunt. Non solum autem possunt in atrociam, & conscientiam directæ vastantia scelera, atque adeo in ipsum peccatum ad mortem, & in Spiritum sanctum incidere, sed etiam in iis perseverare, ac mori, consequenter a fide justificante, gratia, & salute totaliter, & finaliter exidere, multisque id vere fidelibus, ac regnitis evenit, & etiamnum non raro evenit.

V. Nullus vere fidelis, ac regeneratus in hac vita de perseverantia, ac proinde de sua salute certus esse potest absque speciali revelatione.

VI. Tantum abest, ut doctrina de certitudine perseverantiæ, ac salutis ad solidam fidelium consolationem, & conscientiarum pacem in hac vita sit necessaria, ut e contrario natura, atque indole sua veræ pietati, ac toti Religioni sit perniciofa, inserviatque generandæ, ac fovendæ carnali securitati.

VII, Fides *προσκαιρον*, id est temporarium, est fides vera, totalis, & justificans, nec differt specie a vera fide ad finem durante.

§. LIII.

Altera Hagiensis collatio.

Weisman.

Hist. Eccles.

Sæc. XVII.

p. 1292.

Cum hæ Theses inter utramque factionem hæud levem animorum content-

tionem excitarent, resque ad apertam
 sectæ scissionem spectaret, hinc Fœde-
 rati Ordines rursus Hagæ anno salutis
 nostræ millesimo sexcentesimo undeci-
 mo publicum inter contententes collo-
 quium haberi præceperunt, eo præci-
 pue consilio, ut ibidem de controversis
 articulis, necnon de Confessionis Bel-
 gicæ, & Catechismi doctrina examen
 institueretur: igitur utrinque sex *Col-
 locutores*, ut vocabant. designantur, &
 quidem ex Arminianis Joannes Uten-
 bogardus, Adrianus Borrius, Joannes
 Arnoldus, Corvinus Ecclesiæ Lugdu-
 no-Batavæ Pastor, Nicolaus Gravin-
 chovius Roterodamus Minister, E-
 duardus Pappius, & Simon Episco-
 pius tunc temporis Pastor Blesvicensis:
 ex Gomaristis autem seligebantur Pe-
 trus Plancius Amstelodamus Minister,
 Libertus Fraxinus Brielanæ, Ruar-
 dus Acroncius Schiedamensis, Joannes
 Decius Dordacenzæ, Joannes Bogan-
 dus Harlemensis, & Festus Hommius
 Leydensis Ecclesiæ Pastor. Ad hoc
 colloquium Gomaristæ ex suis hosce sex
 Ministros deputabant, qui præfatis the-
 sibus totidem contrarias opponerent
 unacum quodam libello supplici, quem
Contra-Remonstrationem appellitabant, ei-
 demque ipsemet Franciscus Gomarus,
 Joannes Polyander, Antonius Thysius,
 Anto-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1600.

Sæcul. XVI. Antonius Waleus, & Labertus subscri-
A.C. 1600. psere. Interea agebatur de nominan-
do quodam erudito Viro, qui Arminio
nuper defuncto tam in sectæ promovendæ studio, quam Leydenfis Professoris munere succederet, hancque in rem ex Remonstrantibus præcipui, & præprijis Joannes Utenbogardus, Guilielmus Coddeus, & Petrus Bertius clam cum Joanne Barneveldo, ejusque amicis conspirabant, ut Conradus Vorstius eligeretur, quod ipsis etiam ad vota successit, nam Lugduno-Batavæ Universitatis Curatores eundem Theologiæ Professore[m] nominabant, atque exeunte mense Junio anno Christi millesimo sexcentesimo decimo datis ad Tecklenburgum, & Bentheimium Comites literis Barneveldium tunc Steinfurtensem Professore[m] dimitti rogabant, is tamen tantum ad mensis Octobris exitum abire permissus est. His ita constitutis colloquio datum est initium, ubi Gomarus, Hommius, duntaxat hac disputatione celebris, necnon Lucas Trelcatius junior proponebant, quod ab Arminianis eorum Ecclesia pessundaretur, ac propterea suas rationes, quas contra Remonstrantium libellum paratas haberent, excipi peterent. Remonstrantes quinque suos articulos propugnare totis viribus adlaborabant, frementibus Go-
mari-

maristis, qui Magistratus patrocínio e-
 lati suos adversarios per fas, nefasque
 opprimere satagebant; cum autem nil
 nisi clamores, & convitia audirentur,
 Ordinum Deputati totam hanc causam
 scripto potius, quam viva voce, agi jus-
 ferunt: quocirca plurima utrinque scri-
 pta, & responsiones divulgabantur, in
 quibus utraque pars omnem ingenii sui
 aciem, ac doctrinæ summam partim in
 oppugnandis, partim in propugnandis
 quinque articulis exerebat, frustraneo
 licet Arminianorum conatu, cum enim,
 teste Hugone Grotio. „cum tantis præ-
 „judiciis res ageretur, & singulares
 „Doctorum opiniones in mentes disci-
 „pulorum sensim irrepentes, & partim
 „progressu temporis, partim altius in-
 „quirendi negligentia, tacito Ecclesia-
 „rum consensu receptæ liberam inge-
 „niorum sedulitatem auctoritate sua ju-
 „gularent, neque minus in Ecclesiis,
 „quam in aliis confessibus vinceret ma-
 „jor pars meliorem, non alium rerum
 „suarum eventum sperare poterant Ar-
 „miniani, quam Castellio expertus est, qui
 „pressus insolentia adversariorum eo re-
 „dactus est, ut vir cetera doctus, ac
 „perpetua fama dignus lignando vi-
 „ctum sibi quæreret.„ Postmodum
 anno post Christum natum 1613. Del-
 phis Batavorum inter Utenbogardum,
 Bor-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1600.

Sæcul. XVI. Borrium Grevinchonium, Bogardum Be-
A.C. 1600. cium, & Hommium alia habebatur col-
 latio, in qua Gomaristæ quendam fidei
 formulam ab Armianianis subscribi pete-
 bant, quod tam Remonstrantes facere
 recusabant, prius quinque articulorum
 doctrinam approbari postulantes: cum
 autem ob hostium suorum potentiam
 veritatis præsentis triumphum sibi pol-
 liceri haud possent, saltem quinque ar-
 ticulos defendendi libertatem indulgeri,
 seque tanquam Fratres a Gomaristis
 tolerari petebant. Hanc petitionem
 justam, æquamque habentes Hol-
 landiæ Ordines post crebras, inutiles-
 que litigantium velitationes anno Do-
 mini millesimo sexcentesimo decimo
 quarto edictum, ut vocant, *provisionale*
 promulgabant, vi cuius non tantum Re-
 monstrantes Ministri a censuris eccle-
 siasticis suorum Fratrum essent immu-
 nes, sed etiam nullus ex Ministerii Can-
 didatis in examine circa argumentum
 de Prædestinatione &c. contra animi
 sui sententiam molestaretur, sed utrique
 parti pace reddita controversiæ cum de-
 bita moderatione agerentur, ac conten-
 dentes sibi invicem honorem, charita-
 temque deferrent, donec libera, parti-
 busque minime addicta, ac moderata
 Synodus suo tempore haberi posset. Ve-
 rum hæc ipsa concordiae ratio Gomari-
 stis

stis summopere displicuit, atque inter
 eos Joannes Bogermannus, Sibrantus
 Lubbreus, alique calamos suos adver-
 sus hoc edictum acuere non dubitabant,
 palam declarantes, quod profanus Ma-
 gistratus circa Ecclesiae res edictum
 conficiendi auctoritate careat. Hugo
 Grotius his obstrepens librum, cui titu-
 lus: *Pietas Ordinum Hollandiae*, edidit,
 indeque evenit, ut teste Leydeckero,
 Arminiana religio evaderet religio Po-
 litica: Ceterum Gomaristae insectaban-
 tur praecipue Barneveldum, eoquod hic
 Ordinibus auctor exstitisset, ut omnibus
 Ministrellis, & Theologiae Professoribus
 inhiherent, ne in Templis, aut Scholis
 de quaestionibus circa Praedestinatio-
 nem, & gratiam agerent, simulque Bi-
 bliopolis, & Typographis prohibitum ef-
 fet, ejusmodi libros vendere, aut praelo
 subjicere, eoquod, addebat Barneval-
 dus, doctrina de gratia, & Praedestina-
 tione tantopere implicita sit, nec a plebe
 comprehendi valeat, adeo, ut consultum
 sit, si Ministrelli in suis sermonibus dun-
 taxat de custodiendis Dei mandatis, vir-
 tutibusque Christianis agant, atque ex
 sacris Paginis ea tantum hauriant, quae
 animos ad pacem, charitatem, solatium,
 bonum exemplum, ac spem erga Dei
 misericordiam excitare possunt: attam-
 en moderatum hoc Barneveldi con-
 filium

Saecul.XVI.
 A.C.1600.

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

filium Gomaristas Mauritiæ Principis, suæque factionis auctoritate suffultos adeo offendebat, ut eundem Pastorem accusarent, quod cum Catholicis, atque Hispanis clam conspiraret, sensimque Religionem Romano-Catholicam non sine luculento Reipublicæ excidio in Provincias unitas invehere moliretur: igitur mutuis hisce dissidiis utrinque prævalentibus Hagiense hoc colloquium haud magis prosperum, quam collatio ibidem ante triennium habita, exitum fortiebatur.

§. LIV.

Succincta relatio de exitu hujus schismatis.

Bossuet hist. variat.

Paulopost inter Mauritium Principem Auriacum, & quosdam Belgii uniti Ordines Remonstrantium partibus faventes orta sunt dissidia, qua occasione in rem versa Mauritius sua auctoritate tantum effecit, ut Magistratus Armini doctrinæ addicti suis privarentur officiis, ac Pastoribus exulare jussis Præcones Gomaristæ sufficerentur, Joannes autem Barnevaldus primo libertate, ac demum ipsa quoque vita orbaretur, & Hugo Grotius, alique ex Remonstrantibus præcipui ad carceres damnarentur. Hac crudelitate, & violen-

violentia freti Gomaristæ nullo negotio Synodum Nationalem, cui sese hucusque Arminiani acriter opponebant, extorquere poterant. Ergo die undecima Novembris anno restauratæ salutis millesimo sexcentesimo decimo septimo in pleno Ordinum congressu ejusmodi Synodus decernitur, quæ etiam die decima tertia Novembris anno a partu Virginis millesimo sexcentesimo decimo octavo inchoata nonnisi post centum quinquaginta quatuor Sessiones mense Majo anni sequentis absoluta est.

Ceterum hæc ipsa Synodus æquiori jure latrocinium, & Gomaristarum Conciliabulum nominari meretur; quippe turbulenta omnino erant illius initia, cum sapientiores *inanem, & miserum* hujus Synodi *successum præviderent*, & singulæ Provinciæ sibi jus vendicarent statuendi de religione sine consensu ceterarum, quorum tamen pari jure intererat, ac ipsorummet Gomaristarum: insuper hujus Synodi Judices in sua contra Barneveldum sententia tanquam *perniciosam*, & exorbitantem doctrinam detestati sunt ipsius propositionem, qua asseruit, quod *juxta reformationis in patria sua stabilitæ, & receptæ leges quælibet Provincia intra suum territorium in facta Religionis decernere valeat, quin aliis Provinciis desuper cognoscendi jus competat.* Propter

Hist. Eccles. Tom. LII.

Uu pter

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

Sæcul. XVI
A. C. 1600.

*Acta unionis
Ultraject.
anno 1579.
art. 13.*

pter hoc dogma Barneveldus potissima ex parte a Gomaristis capite damnatus est, quamvis ipsimet hanc doctrinam in suo conciliabulo executioni dedissent, & hucusque Hollandi hoc jus inter præcipua libertatis suæ privilegia numerassent, & ipsemet Guilielmus Arausio-nensis Princeps Mauritiæ Parens hoc privilegio usus sit ad hoc, ut Religionis Catholicæ profitendæ libertatem ab ipso petitam denegare possit, nam in Ordinum generalium Conventu Bruxellis habito assererat, quod hac in re nihil sine Hollandiæ, & Zeelandiæ Ordinum, quibus desuper cognoscendi potestas esset, consensu decernere possit. Ita nempe prætensa conscientiæ libertas lusui servit. Præterea jus etiam, quod ad sui defensionem a natura cuilibet oppresso conceditur, in hoc conciliabulo violatum est; quippe Gomaristæ Arminianis suæ factionis Theologos, qui coram Ordinibus, aliisque in hoc Conventu congregatis causam communem defenderent, eligendi libertatem denegabant; Mauritiæ enim Princeps instigantibus Gomaristis ab hac Synodo non modo Nicolaum Grevincho-vium, quem tamen Arminiani sibi ad-jungi summis votis expetebant, atque Utenbogardum maximæ auctoritatis virum excluderat, sed etiam præter hos

ce duos, plurimosque alios inferioris ^{Sæcul XVI.}
 notæ Ministros Conradum Vorstium, Pe- ^{A.C. 1600.}
 trum Bertium, Adolphum Venatorem,
 & Joannem Arnaldum exilio multave-
 rat: insuper Arminiani ægre admodum
 obtinere poterant, ut Grevinchovius,
 & Goulantius privatim Remonstrantes
 juvare possent, non autem in Synodo pu-
 blice comparere permetterentur, Corne-
 lium vero Wigerium, & Coolhaasium,
 qui privatos cætus agere volebant, Go-
 maristæ excommunicabant,

Ceterum hujus Conciliabuli Præses ^{Iselin. Es}
 erat Joannes Bogermannus Pastor Læ- ^{Weisman. l.c.}
 vardiensis, juratus Arminianorum hostis,
 qui vindictæ suæ iniquitatem honestatu-
 rus hæreticos morte plectendos esse do-
 cebat. Ejusdem furfuris fuere Scribæ,
 & Actuarii, qui hoc ipso nomine ex æ-
 quitatis regulis hoc munere indigni e-
 rant. Modus, ut jam supra ex Weif-
 manno memoravimus, hæc controver-
 sias judicandi, & pertractandi fuit su-
 perbus, sectarius, præjudicatus, violen-
 tus, & carnalis, id attestantibus non mo-
 do Arminianis, sed ipsis etiam Anglis
 Doctoribus in Synodo præsentibus:
 præterea conditiones æquas, & hone-
 stas, quas Arminiani petebant, Synodus
 declarabat insolentes, iniquas, intempe-
 stivas esse, & cum legibus ab Ordinibus
 præscriptis pugnare. Denique, prius-
 Uu 2 quam

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

Acta Synod.
Dordra.
p. 131. &
188.

quam Arminiani de doctrina sua fuissent auditi, insuper habitis eorum querelis, quas de abnegata sententiam suam proferendi, ac defendendi libertate protulerant, Præses nunquam hucusque audita arrogancia Remonstrantes his verbis dimisit: *Vos Synodi mansuetudini opposuistis artes, fraudes, & mendacia: mendacio incepisti, & mendacio desinitis. Hoc elogio judicarunt quidam vos edimittendos: actiones vestrae sunt plene fraudum, artium, & illusionum: non estis digni, cum quibus Synodus ulterius agat: itaque dimittimini. Exite, quando tamen Synodus vos voluerit vocare, præsto eritis. . . Insolens, & inauditum est, Ecclesiarum Reformatarum Pastores Synodi iudicio submittere se nolle. Hujus oppositionis causa non est alia, nisi quod non assuevistis leges accipere, sed dare: cogitate nunc, quæ facta sit rerum mutatio, & quo sitis loco, ideoque, qui sitis, agnoscite, vosque citatos ordini a Judice præscripto subjicite &c.: ad hæc ex Arminianis Episcopus ita respondit: *Deus judicabit fraudes, artes, & mendacia nostra, alius vero eorum exeundo dicebat: Exite a cætu malignantium: porro una omnes profitebantur, quod Synodum Dordrechtanam pro legitimo controversiarum Judice non agnoscant, eo quod iidem in ea sederent accusatores, & Judices, qui dogmata, de quibus fer-**

Sæcul.XVI.
A.C.1600.

ri iudicium oportebat, mordicus propugnarent, ideoque sententia Synodi nullum apud ipsos, suasque Ecclesias pondus habitura sit. Tandem spuria hæc Synodus in Arminianos sequentem pronuntiabat sententiam, qua omnes, & singulos ad publice abjurandas quinque propositiones, seu Arminianorum articulos teneri declarabat, hæc addens: *Synodus invocato Dei sancto nomine, suæ auctoritatis ex verbo Dei probe conscia, omnium legitimarum tum veterum, tum recentium Synodorum vestigiis insistens, & Illustrissimorum D. D. Ordinum Generalium auctoritate munita, declarat, atque iudicat, Pastores illos, qui partium in Ecclesia Duces, & errorum Doctores sese præbuerunt, corruptæ Religionis, scissæ Ecclesiæ unitatis, & gravissimorum scandalorum, citatos vero ad hanc Synodum, perveraciæ reos, & convictos teneri, quas ob causas primo Synodus prædictis citatis omni ecclesiastico munere interdicit, eosque ab officiis suis abdicat, & Academicis functionibus etiam indignos esse iudicat, donec per seriam resipiscentiam, dictis, factis, studiis contrariis abunde comprobata, Ecclesiæ satisfaciant, & cum eadem vere, & plene reconcilientur, atque ad ejus communionem recipiantur.*

Ut autem hæc sententia eo efficacius effectui daretur, Gomaristæ Arminianis omne suæ sectæ exercitium, con-

U u 3 ven-

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

Weisman.

l.c. p. 1300.

ventumque prohibebant, ac plusquam
ducentis eorum Ministris officio amotis
Contra - Remonstrantes subrogabant:
„unicus tandem hujus Synodi exitus,
„fructusque exstitit Ecclesiarum Re-
„monstrantium, cultusque eorum publi-
„ci dissipatio, quæ conjungebatur cum
„eversione, depositione, & relegatione o-
„mnium illius partis Professorum, & Mi-
„nistrorum: porro hujus sententiæ exe-
„cutio statim Synodum Dordracenam
„secuta est in evidentissimum summæ
„exacerbationis signum. Inter acta il-
„la eminet relegatio Simonis Episcopi,
„& aliorum adeo præceps, ut nulla e-
„tiam venia prius domum revertendi,
„resque suas familiares disponendi ei-
„dem fuisset indulta, nec minus notan-
„da etiam venit Lupisteinensis plurimo-
„rum captivitas, custodia Grotii, sup-
„plicium Barneveldii, & nefandum fa-
„cinus Ledenbergii, qui in carcere se-
„metipsum geminato pugionis ictu in-
„teremerat, denique plura alia ejusmo-
„di sequebantur exempla, quæ sine hor-
„rore, & detestatione legi non possunt,
„atque æternum erunt probrum Eccle-
„siarum Reformatarum, quoscumque
„demum colores ad depingendas
„hasce carnalitates adhibeant

„Calvinistæ. „

*** **

INDEX